

MANUALE PRECUM

SEU

VARIA PIA EXERCITIA,

COMPLECTENS

PIAS PRECES, MEDITATIONES
HYMNOSQUE SACROS.

AD USUM
PIORUM SACERDOTUM SAECULARIUM AC
REGULARIUM
NEC NON
JUVENTUTIS LITTERARUM STUDIOSAE
A

FRANCISCO SAL. HOFFMANN,

SS. Theologiae Doctore, Exmissionario apostolico, nec non olim Legationis Francorum Regis Petropoli Eleemosynario.

RATISBONAE, 1859.
TYPIS AC SUMTIBUS G. J. MANZ.

Praefatio.

Aetas nostra, a fide et pietate vera in Deum satis diu aliena, modo vero ad saniora consilia redire, et religionis fidem et cultum denuo amplecti velle videtur.

Studiosa imprimis juventus nostra, et qui proximis ab hinc annis in sortem Domini vocati, immo non pauci Laicorum, qui publicis officiis sunt addicti, religionis cultum

non adeo, ut alias moris erat dedignantur, sed pietatis, in Deum videntur capere incrementa. Fides autem mentis et cordis pietas, ut nutriatur et convalescat, continuis precibus et religionis cultu, tanquam alimentis indiget. Quapropter hoc manuale precum haec ipsa jam alimenta, iis, qui indigent, et pio affectu capiunt, subministrare intendit, et dum Litteratos praecipue homines respicit, latino idiomate in lucem progreditur.

Preces, quas continet ejus sunt ex parte, qui scripserat. Adjicimus multa alia ex variis sanctis Patribus.

Nec dubitamus, quin multi ex illo magnum pietatis incrementum sint percepturi.

Hinc sperandum est fore, ut devotioni tuae Benevole Lector, prae aliis deserviant, quod faxit Deus.

„Pietas ad omnia utilis est, pro-
„missionem habens vitae, quae
„nunc est, et futurae.“

I. Tim. c. 4. v. 8.

„Oratio justi clavis coeli. Ascendit
„precatio, et descendit Dei mi-
„seratio.“

S. Augustinus serm. 226. de tempore.

Attamen non tam ipse Libellus,
quam devotus ejus usus, est pius.

Preces matutinae.

Mane dum surgis.

In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Benedicta sit Sancta et individua Trinitas, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

In Nomine Domini mei Jesu Christi surgo, qui me pretioso suo sanguine redemit; ipse me hodie et semper custodire dignetur ab omni malo et peccato; ipse me impleat omni bono in animo et corpore, et post hanc vitam transitoriam et temporalem, ad vitam me perducat aeternam. Amen.

Adoratio.

Gratias ago tibi, Deus omnipotens, qui me indignum peccatorem hac nocte custodire dignatus es, rogo te per misericordiam tuam, ut per hanc diem et omni tempore in laude tua dirigas, et mundum a peccato me custodias, atque in tuo sanctissimo amore accendas.

Te Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum sanctum, laudo, benedico, et adoro. O summa Unitas! rerum omnium principium et finis, miserere mei propter temetipsum.

Ad Christum Redemptorem.

Adoro te Domine Jesu Christe, pro morte tam amara, quam pro me subire dignatus es, custodi me per meritum tuae Passionis hac die ab omni periculo et peccato, et concede mihi in veritate diligere, et in tuo servitio fideliter

et jugiter permanere. Suscipe, Domine Jesu Christe, has laudes et orationes, quas tibi nunc et omni tempore recitare intendo, in unione Charitatis illius, qua in uterum B. V. Mariae descendere, et in cruce pro nostra salute mori dignatus es, inflamma cor meum dulcissimo tuo amore, quia thesaurus cordis mei et unicum bonum meum es. Utinam dirigantur, o Deus, viae meae ad custodiendas justificationes tuas in omni tempore; utinam tam innocenter in vocatione mea deservire tibi valeam, ut ad te principium et finem omnis boni valeam pervenire. Eja, amantissime Domine Jesu Christe, suscipe me in servum perpetuum, ut te semper habeam unicum solatium meum et doce me sic omnia hujus mundi contemnere, ut te summum animae bonum semper invenire, et dulciter in te requiescere merear.

Gratiarum actio.

In matitutinis Domine, meditabor in te, quia fuisti adjutor meus. Gratias tibi ago omnipotens Pater, qui me dignatus es, in hac nocte custodire, deprecor clementiam tuam, piissime Domine, ut concedas mihi, diem hunc sic peragere in tuo sancto servitio, cum humilitate et discretione, quatenus tibi complaceat servitus mea, et praesta mihi hodie cum intima devotione et sinceritate cordis gratum tibi exhibere servitium.

Immitte, quaeso Domine, angelum in circuitu meo, et eripe me ab impiis, qui in circuitu ambulant, ut viam mandatorum tuorum absque omni errorum scandalo in offenso pede currere valeam. Per D. N. J. Christum. Amen.

Salutatio matutina ad aeternam sapientiam.

Anima mea desideravit te in nocte, et spiritus meus de mane nunc vigilat ad te, o praeclara sapientia! petens, ut desiderata tua praesentia omnia aliena in corde meo praeveniat, penetralia cordis mei tua gratia perfundat; peccata, vitia et mala cuncta in me tollat, virtutibus cunctis impleat, et amore inextinguibili vehementissime accendat, et nunc, dulcissime Redemptor, ad me, quaeso, convertere et gratiosissimam faciem tuam mihi ostende, quoniam ecce ego ad te diluculo consurgo, teque ex intimo cordis mei affectu saluto, optans, ut millia millium coelestium agminum tibi ministrantium te ex me salutent, et glorificent, omniaque praeclara desideria sanctorum omnium te ex me honorificent, et universa melodia omnium creatu-

rarum te ex me collaudet, teque exoret, ut mihi des bonam mortem, peccatorum plenam remissionem et aeternam salutem. Amen.

Ad B. V. Mariam.

Gloriosa Dei Mater, et Regina Coeli sancta Maria, Patrona mea singularis, saluto te vernans flos, et devoto cordis affectu me totum hodie meaque omnia sub tua protectione constituo. Guberna me tanquam filium, o bona Mater, et in omnibus fidelem gere mei curam, ne mihi nocere possit inimicus, neque unquam adversum me praevaleat, sed te protegente securus periculum omne corporis et animae effugiam, filioque tuo et tibi puro semper et humili corde deserviam. Amen.

Alia.

Sub tuum praesidium confugio, sanctissima Dei Genitrix Virgo

Maria, meas deprecationes ne despicias, measque lacrymas ne repudies, o Intemerata; sed in necessitatibus cunctis adsis prompta mihi semper auxiliatrix, o Maria! et a periculis cunctis libera me semper, Virgo gloriosa et benedicta; ab hoste maligno, ab omni peccato. A malo et subitanea morte, ab omni periculo corporis et animae hodie et semper custodi me, in hora mortis adesto mihi clemens et propitia, benigna et misericors. Amen.

Saluto te, Virgo dulcissima Maria, custodi me hodie et omni tempore immaculatum ab omni peccato, et jugiter intercede pro me apud filium tuum omnipotentem. Amen.

Ad Angelum custodem.

Sancte Angele Dei, cujus custodiae a Domino commissus sum, habe me hodie et jam et semper commendatum, ne in aliquod prae-

cipitium corporis vel animae ruam, sed te tuente liber ab omnibus maligni insidiis et inoffensus emergam, et ad patriam meam te ducente et comitante perveniam. Amen.

Ad obtinendam coelestem Benedictionem.

Ab omni mortali peccato et scandalo, ab hostibus visibilibus, a subitanea, mala et aeterna morte, a periculo animae et corporis nos liberet, Catholicos praeterea omnes ubique locorum in vera fide et obedientia sancta custodiat divina Majestas et una Deitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Amen.

Pater, Ave et Credo.

Preces vespertinae.

Solve Deo gratias.

O clementissime Deus, Creator, Protector ac Redemptor meus, te benedico, laudo, glorifico cum omnibus angelis et Electis Dei, gratiasque ago pro animi et corporis donis ac beneficiis mihi hodie et alias liberalissime collatis, quid retribuam tibi? me totum, et omnia, quae dedisti mihi, insuper et omnium Sanctorum laudis et amoris affectus, in unione passionis ac meritorum Christi tibi pro merita gratiarum actione offero.

Suscipe, o Pater aeterne, hanc oblationem meam; utinam majori affectu nunc, et in aeternum cum

omnibus creaturis te laudare et glorificare possem! Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Psalm. 107. v. 1.

Veni sanctę spiritus, et emitte coelitus lucis tuae radios, illumina mentis meae tenebras, ut peccata hodie commissa, negligentiasque meas videam, agnoscam, et detestor. Quantas habeo iniquitates et peccata! Scelera mea et delicta ostende mihi.

Hic omnes diei horas percurre, et vide, quod boni neglexeris, quid mali commiseris, cogitatione, verbo et opere.

Eheu Domine, tu me hodie et toto vitae meae tempore tantis beneficiis cumulasti! et ego ingratissimus offendere te non desisto; innumera etenim sunt, in quibus hactenus, quin et hac ipsa die, te Deum et proximum, cogitatione, verbo et opere, aut omissione vel negligentia offendi, neque finem facio peccatis meis.

Sed ignosce, quaeso, bone Domine, erratis hujus nequam servi tui, et secundum multitudinem miserationum tuarum averte faciem tuam a peccatis meis et omnes iniquitates meas dele. Concede pro eis salvator meus, veniam et ad vitam perduc me sempiternam. Ecce in plenam emendationem, expiationem et satisfactionem omnium meorum peccatorum, negligentiarum et omissionum, nec non gratiarum actionem, pro cunctis beneficiis tuis mihi praestitis offero tibi amantissime Redemptor, omnes virtutes et merita sanctissimae vitae et Passionis tuae, item et Beatissimae Mariae Matris tuae, et omnium sanctorum atque electorum tuorum, ut si hac nocte mori me jusseris, misericordiam a te consequar, et suscipias in pace spiritum meum. Si vero vitam hanc mihi prolongaveris, concede, ut incolumis ad laudandum

nomen tuae Majestatis exurgam, tibique puro et humili corde cum gratiarum actione laetus deservire, et deinceps, sobrie, juste, et pie in hoc saeculo vivere valeam, finita autem hic mea peregrinatione me ad regnum tuum pertrahas et colloces, ubi in perpetuum quiescam et exultem in te Jesu salvatori meo. Amen.

Alia oratio.

Benedic nobis Domine, et universae familiae nostrae, et habitationem istam praesentiae tuae luce perfunde, ut tenebrarum auctor hinc confusus abscedat, et qui in umbra alarum tuarum speramus, ab omnibus insidiis daemonum virtutis tuae potentia protegamur. A facie impiorum, quaeso Domine, sub umbra alarum tuarum nos protege, ut ad laudem tui nominis surrecturi, te super nos vigilante securi dormiamus. Pacem

tuam Domine da nobis de coelo, et pax tua Redemptor semper maneat in visceribus nostris, ut non timeamus a timore nocturno.

Deus refugium nostrum et virtus, adesto precibus meis, et continua me pietate custodi, mitte sanctos angelos tuos, qui stratum meum ambiant, et omnem malignorum incursum arceant et repellant, ut a nocturnis periculis et cunctis adversationibus te protegente immunis, sive dormiens, tuo semper nomini devotus permaneam. Per D. N. J. Ch. Amen.

Vigila super nos, aeterne Salvator, ne nos apprehendat callidus tentator, qui tanquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret, quia tu nobis factus es sempiternus adjutor.

Da Domine quietem, sicut tu nosti mihi necesse esse in corpore et anima, qui infirmitatem nostram expertus, et per omnia (praeter

peccatum) nobis assimilatus, fessa labore membra in naviculo ad quietem posuisti. Convertere anima mea in requiem tuam, quia dominus benefecit tibi.

Da Domine somnum oculis meis et palpebris meis dormitationem. Excipiat me somnus cum requie, et requies cum tranquillitate.

In pace in idipsum, dormiam et requiescam.

Oratio.

Da mihi quaeso Domine, noctem placidam et quietam; et praesta, ut refectis per somnum artubus spiritus meus in te vigilans vigorem sumat; ut transacto tenebrarum spatio, in tuis laudibus laeta dies succedat, et in alacri mandatorum tuorum observatione tota decurrat. Per D. N. J. Ch. Amen.

Pater, Ave et Credo.

Litaniae
B. M. V.

Kyrie eleison!
Christe eleison!
Kyrie eleison!
Christe audi nos!
Christe exaudi nos!
Pater de coelis Deus, miserere nobis!
Fili redemtor mundi Deus, miserere nobis!
Spiritus sancte Deus, miserere nobis!
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis!
Sancta Maria,
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
Mater Christi,
Mater divinae gratiae,
Mater purissima,
Mater castissima,
} Ora pro nobis!

Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater creatoris,
Mater salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo predicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum justitiae,
Sedes Sapientiae,
Causa nostrae laetitiae,
Vas spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Foederis arca,
Janua coeli,
Stella matutina,

Ora pro nobis!

Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum,
Regina Confessorum,
Regina Martyrum,
Regina Virginum,
Regina sanctorum omnium,
Regina sine labe concepta.

Ora pro nobis!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine!
Agnus Dei, qui tollis peccata mun di, exaudi nos Domine!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis!
Christe audi nos,
Christe exaudi nos,
Kyrie eleison,
Christe eleison,
Kyrie eleison.
Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Interveniat pro nobis, quaesumus D. J. Christe, nunc et in hora mortis nostrae apud tuam clementiam gloriosa Virgo Maria Mater tua; cujus sacratissimam animam in hora mortis et passionis tuae doloris gladius pertransivit.

Protege Domine famulos subsidiis pacis; et beatae Mariae semper Virginis patrociniis confidentes, a cunctis hostibus redde securos. Per Chr. D. N. Amen.

EXERCITIA
ante et post
Confessionem sacramentalem.

Oratio devote confitendi.

O Redemptor hominum, doce me perfecte et utiliter confiteri, illumina, quaeso, splendore gratiae tuae cor meum, ut sufficienter cognoscam defectus et peccata mea, eaque cum vero cordis dolore et contritione confitear sicut oportet coram te et sacerdote ministro tuo, ac plene pro iisdem satisfaciam, eadem emendem ad laudem et gloriam tuam et benedictae matris tuae ac sanctorum

omnium, et ad salutem animae meae. Amen.

Oratio ante examen conscientiae.

Veni creator spiritus,
Mentes tuorum visita
Imple superna gratia
Quae tu creasti pectora.

Domine Jesu Christe, vera mundi lux illuminans omnes, qui in tenebris et in umbra mortis sedent, illumina per sancti spiritus tui gratiam, cor et conscientiam meam, ut perfecte quidquid divinae Majestatis tuae oculos offendit, recognoscere et illud vera cordis contritione, humilique confessione expiare valeam, qui vivis et regnas cum Deo patre in unitate ejusdem spiritus. Amen.

Examinanda hic est conscientia, quid cogitaveris, dixeris vel feceris; sed et considerandus status, officium, vocatio, etc., sic

facile, quid commissione, quid omissione peccaveris agnosce.

Pro obtinenda contritione.

Vae! misero mihi, quam dura et insensata facta est infelix anima mea, quid non ingemiscit, ac dolore nimio dolet, cum toties peccata peccatis in se cumulata videt, quibus semetipsum tam abominabilem reddidit, ut illam benignus amator respicere nolit. Heu! quousque sic induravit cor meum, ut oculi mei non indesinenter producant fontem lacrymarum?

Tu Domine dives in misericordia, et largus in miserationibus, qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertat et vivat; mollifica cor meum hoc durum, ut tandem redeat ad se, et in dolore ac planctu multo lugeat, quia te summum bonum toties ad justam iram provocaverit: ut vera cordis contritione doleat indesinen-

ter, nam tibi sacrificium et spiritus contribulatus; nec cor contritum et humiliatum despicies. Benigne fac ergo, Domine, in bona voluntate tua, ut aedificentur muri virtutum in me; tunc acceptabis poenitentiam meam, tunc quoque meipsum in holocaustum amoris me offeram tibi, tu saltem pulsanti januam doloris et contritionis aperi. Amen.

Actus contritionis.

Domine Jesu Christe, animarum nostrarum amator ardentissime, qui per nimiam charitatem qua diligis nos, non vis mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, et vivat. Doleo ex intimo corde meo, quod te Deum meum, patrem amantem ac benignum Redemptorem, cui omnia peccata vehementer displicent, offendissem, qui me adeo dilexisti, ut pro me servo vilissimo sanguinem

tuum pretiosum fundere et mortem acerbissimam subire dignatus sis. O! Bonitas infinita! utinam te nunquam offendissem, qui infinite bonus es, et super omnia cordi meo desiderabilis et amabilis. Ignosce bone Jesu, ignosce misericordiam petenti misero peccatori, pro quo apud patrem tuum vox sanguinis interpellat.

Condono ergo ex amore tui, misericordissime Domine, omnibus, qui me unquam offenderunt, firmiterque statuo universa peccata fugere, eorumque occasiones omnes declinare, ea denique, quae contra immensam bonitatem tuam commisi, in amaritudine animae meae confiteri ac te Deum meum propter temetipsum super omnia in aeternum amare.

O! Salvator hominum, da mihi hanc gratiam.

O Jesu! amor meus pro me peccatore crucifixe, amo te super

omnia ex toto corde, ob infinitam bonitatem, et quia sic te amo, poenitet me, et toto mentis affectu doleo, quod ego vilissima creatura tua, te optimum Deum meum, cui omne peccatum summe displicet, unquam offenderim. O! si te non offendissem! Revoco, retracto, detestor, et quantum possum annihilo, quaecunque feci cogitatione, verbo, opere et omissione contra te, cupioque ac desidero tota vita mea id me non fecisse.

Heu! poenitet iterum atque iterum me in tota vita mea. Et quamvis nulla poena, aut infernus esset, et nullum coelum, tua tamen amabilissima bonitas a me, heu mihi? offensa sufficit, ut mihi cor dolore disrumpatur, et oculi flumina ac maria lacrymarum profundant. Proprono firmissime cum gratia tua sanctissimae legi tuae post hoc in omnibus obedire; peccatum quodvis super omne aliud

malum vitare, integre confiteri; poenitentiam injunctam explere, proximo meo, si quid teneo et debeo, satisfacere; offendendi te occasiones quantum possum fugere.

Condono omnibus, omnes injurias et offensas mihi factas, sicut meas a te mihi peto condonari. Offero tibi vitam, et actiones meas bonas cum gratia tua a me faciendas, et omnes afflictiones (quas juste pro peccatis meis mereor) a me sustinendas in aliquam compensationem tot offensarum et injuriarum a me tibi illatarum. Insuper offero tibi haec omnia in unione lacrymarum tuarum, quibus, o amantissime Redemptor, delicta nostra deflevisti, laborem et cruciatum, quibus eadem expiasti, et omnium meritorum tuorum, per quae spero veniam peccatorum meorum, tanquam ubere gratiam a misericordissimis visceribus tuis, ut me emendem, et

piam ac bonam vitam instituam. Amen.

Propositum emendationis.

Nunc, o Domine, quando amor tuus cor meum commovet, ut ad te relictis omnibus aliis, me convertam, et tempus redeundi clementissime indulget, absit, ut sicut hactenus feci, tempus illud pretiosum, quod ad salutem meam operandam mihi amanter concedis, a me indigne in peccatis, aut vanitatibus consumam. Corde poenitenti detestor, et deploro, nolo in aeternum tibi amplius resistere, non amplius praeterquam tibi serviam, inter manus tuas me depono, quia tu solus me abscondere, et in bonitate tua absorbere vales. Sic, o Domine, immutari tuo divino igne desidero, ut de me ipso nihil amplius in me remaneat, ut vivam jam non ego, sed solus tu vivas in me. Amen.

Post absolutum Examen, ingressurus confessionale dic:

Ecce, Domine, ego vilis peccator, pauper, malus et indignus venio ad te supereffluentem abyssum pietatis, ut laver ab omni macula et munder ab omni peccato. Amen.

Gratiarum actio post confessionem.

Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui etiam servi bona tua dissipantis et nequam misertus, omne debitum dimisisti, quia rogavit te, ego servus ille nequissimus, qui toties non temporales solum, sed aeternas poenas commerui a te, te suppliciter rogo, ut propter bonitatem tuam et propter passiones et mortem D. N. J. Christi, in quo

omnes iniquitates nostras posuisti et punivisti; condones mihi universa delicta mea et poenas quoque ac debitas dimittere digneris. Amen.

ACTUS VIRTUTUM
ante
sacram Communionem elicendi.

Actus Fidei.

O Deus in omnibus veracissime! qui nec fallere potes, nec indictis tuis falli, ideo credo firmissime omnia, quae revelasti, et credendo proposuisti. Specialiter nunc credo, et confiteor, in sanctissimo Eucharistiae sacramento Domini N. J. Christi corpus et sanguinem, animam et divinitatem vere ac realiter contineri. Credo constanter te ibi vere adesse praesentem D. J., licet nullo

sensum adminiculo hoc assequar. Cum tali fide etiam ego sanctissimo sacramento assistere, illud visitare, tractare, et accipere, ex animo semper desidero. O Deus, auge fidem, adjuva incredulitatem meam.

Actus Spei.

O unica in rebus afflictis et dubiis spes mea, Jesu Christe! Licet me mea praeterita peccata et etiam praesentia, frequentesque lapsus et defectus quotidiani merito pusillanimem et desperantem facere possent, nihilominus hoc ego vel maxime exalto misericordiam tuam infinitam, et ostendo, quam magni faciam, quam alte sentiam de miserationibus et omnipotentia tua, quod etsi gravissimum me peccatorem agnoscam, tamen bene et optime sperem. O quantam spem debeo corripere, dum Deus me ad mensam suam invitat dicens: Ve-

nite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Non despero itaque, licet peccator sim, quia pro peccatoribus salvator noster mortuus est, peccatores venit quaerere, et salvos facere, qui perierant. Pro peccatoribus manet in Eucharistia, quia non est opus sanis medico, sed male habentibus.

Actus amoris.

Deus Eucharisticus, verus amoris Deus! O Jesu! latens sub speciebus panis et vini, quomodo hic amas me! qui, ut mecum habitare possis, abscondis te sub habitu peregrini, factus es cibus meus, ut in cor meum intrare possis; factus es potus meus, ut sic viscera mea penetrares usque ad intima mea, mihique intime uniris.

O Salvator hominum! quomodo hic amas me! et dum me sic amas,

redamo et ego te ex toto corde, tota anima, et ex omnibus viribus meis. Amo te Redemptor meus, qui amore mei abscondisti te hic in sanctissimo Sacramento et si tepide amo, cupio tamen plus et plus semper amare.

Actus desiderii.

Domine Jesu! cum adhuc in carne mortali visibilis inter homines ambulares, mirabilem virtutem attractivam habuisti. Nam maximae turbae populorum te de loco ad locum transeuntem semper comitabantur; saepius te adeo presse homines circumdabant, ut nemo tibi posset appropinquare; ideo enim aliquando paraliticum plane per tectum ad te demittere eoacti sunt, ut sanari posset, quem et sanasti. Alias cum turba plurima irrueret, et de civitatibus properaret ad te, a littore, in navem ascendere debuisti, et inde sedens

turbas docuisti. Rursus, cum Haemorrhoisa te tangente, quasi nesciens, quaeris, quis me tetigit? quis? Petrus tibi respondit: Magister, turbae te comprimunt, et tu quaeris, quis me tetigit? adeo omnis turba quaerebat te tangere, quia virtus de te exibat et sanabat omnes. Et ecce idem tu hic es in sanctissimo Sacramento, et quare non magis afficior tibi? certe, si per multa milliaria ad te venirem, mirum non esset; at quod tam languide ad te, mihi tam propinquum veniam, hoc plane mirum est. Ubi fides mea? ubi spes? ubi amor et devotio?

O mi Redemptor hominum! memini, cum aliquando velles ab hominibus declinare, ideoque ab oppidis et castellis abires in solitudinem; secuta sunt te homines quatuor millia, exceptis parvulis et mulieribus, et alia vice hominum quinque millia, et tu devo-

tionem populi te sequentis per desertum cum fame et inedia miseratus, dixisti, misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent, quod manducent: unde et illos ibi mirabiliter saturasti. Et ecce, idem ipse ades sub speciebus panis et vini in Sanctissimo sacramento, itaque satia me famelicum errantem in hoc deserto hujus mundi.

Taedet me miserae hujus vitae, ubi continuo mihi aliquid deficit, miser sum, esurio et sitio aliquid, et quid illud est nisi felicitas et beatitudo mea?

Actus oblationis.

Domine nunc vocor ad convivium nuptiale, et non habeo vestem nuptialem heroicam virtutum. Invitatus sum ad coenandum cum rege, et erubesco comparere in lacerna veterum delictorum meo-

rum; quid faciam? ornabo me meritis D. N. J. Cristi.

Nam ipse factus est nobis justitia a Deo. Offero tibi, itaque o Pater aeterne, filii tui unigeniti cultum, ejus humilitatem pro mea superbia, sobrietatem pro gula, mansuetudinem pro impatientia, sanctitatem pro mea negligentia in debita devotione, ac vitae probitate.

Taliter etiam ego me sanctorum meritis ac virtutibus exornandum spero, quia particeps factus sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua.

Actus humilitatis ante s. communionem.

Audio Domine scripturam tuam dicentem (Lev. c. 7. v. 20.): Anima polluta, quae ederit de carnibus hostiae pacificorum, peribit de populis suis. Item (Matth. c. 7. v. 6.): Nolite dare Sanctum canibus, neque

mittatis margarittas ante porcos. quae terrent, et merito tremere Haec sunt, faciunt, cum accedere deberem ad accipiendum panem coelestem, panem angelorum. — Tu enim Domine Jesu, aliquando ambulans in terra, dixisti cuidam: Non est bonum summere panem filiorum, et mittere canibus, at ipse humiliter respondit: etiam Domine nam et catelli edunt de miscis, quae cadunt de mensa Dominorum suorum: Marc. c. 7. v. 28. Sic et ego mecum reputo; licet catellus sim despicabilis in domo Domini; nec audeam me ullo modo vocare filium Dei, spero tamen non repelli penitus a mensa Dei. Sed nimirum non mea merita, sed tua munera haec sunt Domine Jesu, non mea dignitas, sed tua dignatio, cujus bonitas eo magis elucescit, quanto ad indigniorem venire dignaris. Ut igitur bonitas tua toti mundo innotescat, ecce venio ad

te, si enim tibi placet; nam tu ipse dixisti, venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.

Preces post sacram communionem.

Gratias tibi ago, benignissime Deus, quod me vilissimum peccatorem admittere dignatus sis ad vivificum tuae mensae convivium. Et quis sum ego, pulvis et cinis, ut apponeres erga me cor tuum, inclinans coelos et descendens, ut sanguine tuo purissimo sordes meas lavares, et deficientem prae fame animam meam non manna de coelo, sed carne tua immaculata reficeres et satiares? Si coeli coelorum te capere non possunt, et angeli non sunt mundi in conspectu tuo, quis ego sum, et quae domus mea, ut ad me venire, et in me commorari volueris? Quid quaeso in me invenisti, Rex rte-

mendae Majestatis! quod a templo gloriae tuae traheret te, ut descenderes in abyssum miseriarum? Sed tu, Domine miserator et clemens et immensae bonitatis! Tu nosti figmentum meum, nec despicies humillimam gratiarum actionem, quam tibi offero de paupertate mea, et sacrificium laudis meae honorificabit te. Tua est magnificentia, tua est gloria, et tibi laus in perpetuas aeternitates. Pro tam excelso, et incomparabili beneficio tibi laudes concinant, tibi mecum gratias agant universi populi, tribus et linguae, omnes angeli et sancti tui, quoniam misericordia tua magnificata est super me, et miserationes tuae super omnia opera tua. Jubilent tibi, et gratias agant cor meum, anima mea, vires, sensus, potentiae et omnia membra corporis mei: tibique soli sit honor, et gloria, a quo, per quem, et in quo sunt

omnia, qui es Deus benedictus et laudabilis in saecula saeculorum. Amen.

Oblatio.

Servus tuus ego sum, Domine, Deus meus, et pro tributo servitutis meae aliquid tibi offerre vellem, quod Majestate tua dignum, et acceptabile foret. Sed excedit omnem facultatem meam debitum meum, quia tantum tibi debeo, quantum tu vales, qui infinitus es, ex me quidem nihil possum, nihil sum: habeo tamen ex gratia tua donum praeclarissimum, quod nullo modo recusare potes: habeo dilectissimum filium tuum, Dominum meum Jesum Christum, qui ita se mihi communicavit, ut ego in illo, et ille in me sit: quare verba Prophetae tui aptissime usurpabo et dicam: Benedic anima mea Domino, et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto

ejus. (Psalm. 102, 1.) Ipse enim filius tuus digne pro me nomini tuo benedicet, teque amabit et glorificabit, nam intra me sacramentaliter existens factus est unus mecum, et ego unum cum illo. Ipsum igitur offero tibi velut thymiama suavissimi odoris, ad maximam tui gloriam, et honorem, et in gratiarum actionem pro universis beneficiis tuis, in remissionem peccatorum meorum et totius mundi, ad impetrandum mihi et omnibus, pro quibus oravi, et orare teneor, omnia subsidia vitae temporalis et aeternae, et pro animabus fidelium defunctorum. Suscipe, Domine! cum hac sacratissima oblatione, animam meam et corpus meum, omnes vires, et affectus meos, ut sim perpetuum holocaustum jugiter ardens Majestati tuae. Praesta, ut deinceps nec vitam habeam, nisi ut te amem et serviam tibi.

Petitio ad Christum.

Dulcissime amator, Domine Jesu Christe, qui me corpore tuo immaculato et pretiosissimo Sanguine refecisti; ignosce, obsecro, indignitate mea, et quidquid deliqui in hujus venerabilis Eucharistiae sumptione, misericorditer indulge.

Agnosco enim et confiteor praesumptionem meam, quia tremendum mysterium accedere ausus sum sine debita praeparatione, reverentia, humilitate, et charitate. Respice in me oculis misericordiae tuae, et supple excessu meritorum tuorum meam nimiam imperfectionem; riga me lacrymis, quas fudisti pro me; unge me myrrha doloris tui, astringe vinculis, ablue sanguine, cruce erige, morte vivifica. Penetret amor tuus viscera mea, et omnem alienum amorem expellat, abscedat phan-

tasmatum multitudo, totum me in te transforma, ut in te pereat omnis substantia mea, meque amplius non inveniam, nisi in te. Imprime cordi meo amorem crucis et humiliationis, qui, ut me redimeres, nec uno quidem momento sine cruce tua esse voluisti.

Ne patiaris me sine fructu a te recedere, sed operare mecum mirabilia tua, sicut cum sanctis tuis operatus es; fac me ambulare in fortitudine cibi istius usque ad mortem perfectionis.

Converte Domine Jesu! miseros peccatores ad te, revoca haereticos atque schismaticos, illumina infideles te ignorantes. Adesto omnibus, qui in aliqua neccessitate et tribulatione constituti sunt. Esto propitius propinquis et benefactoribus meis.

Miserere omnium adversantium mihi, vel qui me aliqua molestia affecerunt. Succure illis, qui se

meis precibus commendarunt. Da vivis veniam et gratiam, fidelibus defunctis vero lucem et requiem sempiternam. Amen.

Oratio ad B. Virginem.

Respice in me, gloriosissima Virgo Maria! quia dignum objectum oculorum tuorum nunc factus sum. Loquere bonum pro me dilectissimo filio tuo, qui me corpore et sanguine suo suavissime refecit, et offer ei merita tua, in supplementum imperfectionis meae. Gratias age ei pro me; et impetra mihi, ut sacramentali sua praesentia, non discedat a me, nisi relinquat post se animae meae largissimam benedictionem.

Oratio ad sanctos angelos.

Angeli sancti, ministri Dei altissimi! facientes semper verbum illius, aspicite primogenitum Pa-

tris aeterni, quem introeuntem denuo in orbem terrarum jussu Patris sui adorastis, et facite me in eo spiritu et veritate illi servire, qua vos eidem in hac vita ministrastis et nunc in coelesti patria servitis.

Oratio ad omnes sanctos.

Omnes sancti et sanctae Dei, consolatio pauperculae animae meae, vos presertim Patroni et protectores mei, N. N. aspicite magistrum, auctorem et proemium sanctitatis vestrae, ac universam felicitatem, intra viscera mea manentem, mihique ab ipso, cui vos tantopere, verbo et exemplo in hac vita conformastis, vestris intercessionibus impetrate; ut vestra semper vestigia sequar, et ut ad scopum mihi propositae perfectionis, ac tandem, plenus meritis, ad vestram merear consortium pervenire.

Commendatio sui.

Totum me, Domine Deus! in sinum benignissimae providentiae et voluntatis tuae transfundo, laetatusque in sanctissimo beneplacito tuo conquiesco. Tu de vita, omnibusque rebus meis dispone, quomodocunque pro majore tua gloria tibi libitum fuerit; id unum summis a te precibus efflagito, ne unquam permittas me separari a te; praesta ut aeternas gehennae mallem subire poenas, quam te vel semel offendere. Excita proinde et conserva in me fidem vivam, spem firmam et ardentem charitatem, meque deduc per viam mandatorum tuorum, donec transeam in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.

Affectus pii, die communionis usurpandi.

O sacrum convivium, in quo Christus sumitur. Benedictum sit sanctissimum altaris sacramentum. Mane nobiscum, Domine, quoniam advesperascit. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo.
Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.

Vivat Jesus Eucharisticus!
Amo te, Jesu suavissime,
Prae omni dulcedine et gustus
suavitate.
Amo te, Jesu castissime! supra
omnes
Carnis illecebras et voluptates
Amo te, mi Jesu! prae omnibus
mundi
Divitiis et honorum titulis.

Affectus.

Anima Christi sanctifica me,
Corpus Christi salva me,
Sanguis Christi inebria me,
Aqua lateris Christi lava me,
Passio Christi conforta me,
O bone Jesu, exaudi me,
Intra vulnera tua absconde me,
Ne permittas me separari a te,
Ab hoste maligno defende me,
In hora mortis meae voca me,
Ut cum sanctis tuis laudem te,
In saecula saeculorum. Amen.

Oratio.

Scrutator cordium et renum! tu formasti me et suscepisti me a nativitate mea. Quidquid possum, quidquid possideo, quidquid sum, id totum largitus es mihi. Obtulisti te pro me in cruce, et in Eucharistia dedisti corpus et sanguinem tuum. En servus tuus, Do-

mine! omnia mea tua sint! totum me tibi devoveo. Quidquid cogito, loquor, operer ac patier, te respiciat. Omnes facultates animae viresque corporis tuo sint consecratae servitio. Habeto me in servum sempiternum. Salva animam meam, quam pretioso sanguine tuo redemisti, ac toties hoc amoris pabulo refecisti. Hora denique mortis voca me, dimitte me in pace, ac jube me venire ad te, ut te quem nunc speciebus velatum peregrinans video, facie ad faciem intuear in patria, et cum omnibus sanctis tuis, laudem te in saecula saeculorum. Amen.

Oratio ante Missam.

Domine obsecro te per infinitam tuam misericordiam, ut mihi ad tremendum missae sacrificium accedenti sanctum fervorem, et ardentis devotionis spiritum suppedites. Da mihi Deus meus, ut

excusso omni torpore, expulsis quibuslibet distractionibus, serio cunctis animae viribus tanto mysterio attendam: nihil obiter et perfunctorie agam. O quam cuperem hanc Missam cum tanta devotione celebrare, quanto multi sancti et fideles servi tui Domine celebrarunt, quorum attentionem, devotionem nuet lacrymarum contritionem tibi hinc offero. O si sanctorum vel minimum devotionis sensum ego haberem! Haec omnia pietatis sensa offero tibi Deus meus, et cupio meum sacrum perficere devotissime, ac comparere coram te ornatus omnibus virtutibus; quodque vestes sacerdotales denotant exterius, id veraciter opto in animo habere interius.

Da mihi Domine in amictu, ut induam galeam spei heroicae, qua inter pericula quaecunque ac difficultates, inter quotidiana etiam peccata, quae vitare cupio, et pro-

pono, fiducialiter tamen, et humiliter in te sperem, quod mihi praestari rogo intuitu Domine Jesu, quo sibi caput sordido velo amiciri, et oculos in passione ligari permisit. Amen.

Dona mihi gratiam, ut cum alba simul induere merear, veram cordis puritatem, ut mundatus ab omni vano et inordinato desiderio, ab omni cogitatione inutili, purum tibi valeam offerre sacrificium, id quod per albam illam te precor vestem, quia Dominus meus Jesus Christus in aula Herodis indutus, et instar fatui fuit illusus. Amen.

Praecinge me cingulo sanctae castitatis, ut restringantur diffluentes phantasiae et imagines; ut ita spiritualiter constrictus, in continentia tibi placere et deservire valeam. Amen.

Largire gratiam, ut non vane geram manipulum fletus et dolo-

ris, quo virtus poenitentiae denotatur, ut in hac adhuc vita pro meis et aliorum peccatis dignos possim facere poenitentiae fructus, quod rogo per vincula manuum Domini mei Jesu Christi. Amen.

Exorna me Deus meus perfecta obedientia, quam significat stola in forma crucis composita, ut tollam crucem meam, et sequar Dominum Jesum, qui factus est obediens usque ad mortem crucis, quod rogo per vincula sacri colli, quibus colligatus est Dominus meus Jesus Christus. Amen.

Indue me, Domine Deus meus, vestem nuptialem pulcherrimae charitatis, quae per casulam figuratur constantem duplici parte, qua Dei amor et proximi designatur, ut digne ad nuptias agni valeam comparere. Amen.

EXERCITIUM
s. Missae partibus aptatum.

Ad Introitum, Peccatorum confessio.

Tibi, Domine Deus, confiteor cum dolore crimina et delicta mea: tu propter ineffabilem pietatem et misericordiam, tu qui dignatus es dicere, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. En ego sum Domine, ego inquam, peccatorum ingratissimus, qui omni tempore postposito, praecepta tua transgressus sum, sanctitatem animae violavi, profanavi templum tuum, dona et gratias tuas profudi miserabiliter

ac perdidi, usque finem meis unquam impono peccatis. Heu me Deus meus, quoniam iniquitates meae sicut onus grave gravatae sunt super me, et quantae impietates, quantae vanitates, quantae diversae tenebrae lacerant mentem meam!

Sed propterea Domine, ad immensam tuae bonitatis Abyssum recurro suppliciter, quoniam nisi universa haec ineffabili bonitatis tuae misericordia repellas ac deleas, mortua est in peccatis anima mea.

Plura sunt mala mea, quibus ex fragilitate offendi, plura in quibus per ignorantiam lapsus sum; plura quae per voluntatem depravatam malitiose commisi, plura item quae animo meo et memoriae exciderunt; immunera denique sunt et maris arenam superantia, quae miser ego contra te, Domine, peccata commisi; pro quibus mihi

perdito tormento pariter et vermes, et ignis debetur aeternus. Succurre, Domine Jesu Christe, mihi miserrimo et captivo, et ne me perire patiaris, quem dignatus es redimere pretioso sanguine tuo. Ne projicias me a facie tua, ne despicias me, neque coufundas me sperantem in te. Reminiscere miserationum tuarum, qui facis magna et mirabilia absque numero, et serva me gratuito munere tuo, qui non sprevisti publicanum, ne spernas me, qui latroni in cruce posito subvenisti, subveni mihi, qui mulieri peccatrici flenti ad vestigia tua misertus es, miserere mei, quoniam et si voluntarie peccaverim, et impie egerim in conspectu tuo, juxta omnes abominationes quas iniquus facere consuevi; hoc tamen confiteor et scio, quia misericordiae tuae magnitudine meorum vincitur magnitudo peccatorum. Major enim est misericordia tua totius

mundi peccatis et ideo manet mihi de indulgentia spes, quia manet omnibus de misericordia certitudo. Ablutis ergo praeteritorum delictorum sordibus, da mihi Domine in posterum velle et posse radices eorum excidere, nec eorum suggestionibus aditum deinceps admittere; sed congruum locum et spatium, fructusque poenitentiae dignos mihi concede, ut tuam merear consequi misericordiam, et ad gaudia tandem pervenire promissa, qui in trinitate perfecta vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

Ad Kyrie eleison.

Pater amantissime, qui me tam amanter ad imaginem tuam creasti, intende restaurationi meae, Rex meus et Deus meus, ut quod ego deformavi, tu reformes, et non maneat in perditione opus hoc tam

nobile, quod construxerunt manus tuae.

Ignosce clementissime Pater quidquid per fragilitatem contra tuam infinitam unquam peccavi potentiam, et memoriam meam stabili modo in te, sanctis et divinis cum cogitationibus replens, et ad claram tui visionem tandem indignum etiam me admitte.

Fili benignissime, qui me tam care tuo proprio sanguine redemisti, reduc me ad te, quoniam erravi sicut ovis quae periit, et tota deperiit atque exaruit in me vita animae meae. Purifica clementissime Deus, intellectum meum, eumque te ipso reple, illumina atque irradia, ut te cognoscam et quidquid per ignorantiam contra aeternam sapientiam tuam hucusque deliqui, remitte id mihi, Redemptor clementissime, et maculas meas omnes in tuo sanguine lava, et nihil remaneat in me quod

oculis Majestatis tuae amodo displiceat, et inavertabiliter adhaereat tibi semper os meum et anima mea.

Spiritus sancte Deus, qui es patris et fili amor, ignosce quidquid per malitiam meam et destinatae voluntatis pravitatem contra tuam incomprehensibilem bonitatem tum diversimodo peccavi, et repurgans voluntatem meam ab omni quod me impedit a te, transfer eam amodo totam in te, et inextinguibili charitatis ardore. Accende cor meum, ut veterem hominem cum actibus suis omnibus et concupiscentiis vere exutus, et praeclaris tuis donis exornatus, totusque in te innovatus atque immutatus revirescam plane in omni virtute et refloream in te, tuique desiderio aestimantissimo succensus, et voluptatis tuae torrente potatus, feliciter tandem in tua pace obdormiam et requiescam.

Adoro te, o fulgida et semper

tranquilla Trinitas unus Deus, Creator coeli et terrae, summum et perenne bonum meum. Tibi Patri, et Filio et spiritui sancto laus, honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Ad Gloria in excelsis Deo, et deinceps usque ad Evangelium.

Benedico te, Domine, lenem et patientem, qui quotidie me peccantem patienter toleras, dasque omnibus nobis poenitendi copiam. Nam hujus gratia Domine, et tacens toleras nos, ut te glorificemus et nostram salutem incessanter dispensas, nunc quidem admonitione, nunc prosperitate, aliquando castigationis metu, tandem etiam vias nostras spinis undique sepiens, ut compulsi veniamus ad te, qui semper paratus es in amplexu peccatoris. Et quidem ego Domine, dignus non sum, qui loquar

ad te, quia peccator magnus nimis ego sum: imo pejor sum caeteris peccatoribus transgrediens praecepta tua.

Gratias ago tibi Domine, quod peccata mea longanimiter tulisti, et ad hunc usque diem supplicium de me non sumpsisti.

Eram ego dignus, qui jam olim innumerabilibus malis affligerer, atque a facie tua profligarer; sed bonitas tua leniter mecum et toleranter egit; cujus nomine tibi gratias ago; etsi idoneus non sum, qui tantae tuae patientiae sufficienter gratias referre queam. Peto autem, Domine Deus, non opes, non honores, non alia terrena, sed misericordiam tuam et regnum coelorum tantum. Nam corporis necessitates ipse curas, et timentibus te nihil deest; tibi laus et gloria semper. Amen.

Alia oratio.

Quis sicut tu, Domine mi Jesu, Redemptor mundi, dulcis amor meus, excelsus et immensus, et humilia respicis? Quis similis tui in fortibus Domine, et infirma mundi eligis? Quis talis, qualis tu, qui fundasti coelum et terram, cui throni et dominationes serviunt, et in deliciis habes, esse cum filiis hominum? Tu Rex Regum, et Dominus Dominantium, qui imperas astris, et apponis erga hominem cor tuum, certe, usque ad abyssum miseriae; vere tu es Deus noster, qui dilexisti nos amore invincibili, charitate inaestimabili.

Magnificent te omnia pietatis tuae viscera, benedicant te omnia interiora mea, et tota substantia et virtus mea, quia tu es Deus salutis meae, et susceptor animae meae. Amen.

Ad Evangelium.

Omnipotens et misericors, aeterne Deus, qui es auctor puritatis et pacis, effice, quaesumus, ut in Ecclesia tua sancta Evangelii tui doctrina, sicut a principio floreat, ut sacramenta tua recte riteque tractentur, ut denique conversatio nostra in omni pietate et honestate te digna semper sit, ad gloriam nominis tui et ad honorem religionis nostrae catholicae. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ad Symbolum.

Miserere mei Deus, et in fide me confortans agnosce me unum ex tuis, quoniam ego credo te esse Deum trinum et unum, Patrem, Filium et Spiritum sanctum, omnium creatorem quae videntur et quae videri non possunt; in quem

credo, quem adoro, in quem est omnis expectatio mea.

Credo Dei filium incarnatum de spiritu sancto, ex Virgine Maria natum, sub Pontio Pilato passum, crucifixum, mortuum et sepultum.

Qui descendit ad inferos, tertia die a mortuis resurrexit, ascendit ad coelos, sedetque ad dextram Dei Patris omnipotentis; inde venturus judicare vivos et mortuos. Credo unum esse Spiritum sanctum a patre et filio procedentem, aeternum et consubstantialem patri et filio, quem adoro simul cum patre et filio, ipsumque glorifico.

Credo unam sanctam Ecclesiam catholicam, apostolicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem et vitam aeternam. Amen.

Ecce Domine fidem hanc sanctam catholicam, quam docet, credit et praedicat sancta Mater Ecclesia catholica, credo firmiter, et

confiteor simpliciter, pro qua sustinenda cum adjutorio tuae gratiae paratus sum ponere vitam; abnego et reprobo omnes haereticos et hodiernos impios et diversos ab unitate sanctae Ecclesiae catholicae, alienos.

Ego autem, o Domine Deus, servus tuus sum, et filius ancillae tuae, qui licet in omnibus peccatis et abominationibus infinitis praeterito tempore contra tuam voluntatem vixerim, dolens tamen pro iis veniam postulo et firmum per tuam gratiam emendationis habens propositum, de tua Christe misericordia non diffido. Conforta me tu, bone Jesu, ut amplius non te offendam in aeternum, sed te semper sequar, et fidelis in finem amodo tibi permaneam. Absit a me Domine, ut te, qui veritas es et vita, amplius derelinquam, absit, ut unquam, bone Jesu, a te separari me patiaris, quoniam spi-

ritum damnatum respuo, execror et reprobo, tuae autem servituti ex corde me subjicio, et a tua in aeternum voluntate deflectere non volo. Adjuva me in hoc, Deus meus, et salva me secundum magnam misericordiam tuam. Amen.

Oratio

Pro Ecclesiae protectione adversus haereticos et hodiernos impios.

Vide nunc et respice, Deus omnipotens, ad Ecclesiam tuam, quae hactenus tua virtute stat immobilis; visita vineam tuam, a tua divinitate plantatam, et pretioso Christi sanguine rigatam, quoniam multi hodie insurgunt adversus eam, et crudeliter persequuntur et devastare quaerunt eam. Sed tu Domine exurge, excita potentiam tuam et succurre. Defende Pastor aeterne, oves tuas

fideles, a luporum faucibus, a falsa loquentibus, et a declinantibus a veritate ad vagas et pestiferas opiniones.

Adjuva nos, Deus, propter gloriam nominis tui et ne permittas praevalere nobis eos, qui in malitiis suis et erroris spiritu gloriantur; sed humiliare digneris eorum corda infernali fraude decepta, ut resipiscant; et illumina eos, quorum mentes haeretica pravitate sunt excaecatae, ut ad fidei catholicae redeant veritatem.

Adauge vero in nobis fidem luminis tui Domine; et confirma hoc, quod operatus es in nobis, ut nullae nos tempestates, nullae procellae ab integra fidei regula dimoveant, sed unanimiter perseverantes in fidei et Ecclesiae unitate, stabiles inveniamur et fideles, in bonis nosmetipsos exercentes operibus, donec tandem in tranquilla et laeta conscientia liberi

perveniamus ad portum pacis, ubi finaliter in te requiescamus, laudantes et in spiritus jubilatione magnificantes te Deum et Dominum nostrum in Ecclesia triumphante per aeterna saecula. Amen.

Ad Oblationem.

Suscipe sancta trinitas atque indivisa unitas hanc oblationem, quam tibi offero per manus sacerdotis tui, pro me peccatore omnium hominum miserrimo, et pro peccatis meis innumerabilibus, quibus in dictis, factis, aut cogitationibus contra te peccavi, rogans, ut praeterita dimittas, et de futuris me custodias. Suscipe et hanc oblationem pro sanctitate corporis et animae meae, pro gravaminum meorum alleviatione, pro necessitatum largitione, tum pro gratiarum actione bonorum omnium tuorum, quibus quotidie utor et fruor. Quid enim aliud dignius retribuam

tibi, Domine, pro omnibus quae retribuis mihi? Suscipe etiam Domine, eandem oblationem pro vivis omnibus mihi commissis aut commendatis, et pro animabus parentum meorum et amicorum omniumque in Christo quiescentium, ut consortio sanctorum tuorum laetantes, cum perpetua fruantur aeternitate. Amen.

Ad Praefationem.

Deus omnipotens, quem decet laus, quem decet hymnus, cui omnis debetur honor, Deus, quem angeli adorantes et laudantes tremunt mira exultatione repleti; te laudo, benedico atque adoro, et utinam talia possem dicere, qualia illi hymnidici angelorum chori! O quam libenter me in tuis laudibus totum effunderem, et quam devote illa coelestis melodiae cantica ad laudem et gloriam nominis tui in medio Ecclesiae infatigabilis

perorarem? sed quia talia non possum, de te Deus meus, misericordia tua, non tacebo, sed dicam interim quod valeo, donec jubeas me venire ad te, ubi possim dicere quod te decet et me oportet. Cupio enim desiderio magno te laudare, Deus meus; et tu scis, occultorum cognitor Deus, quoniam coelo et terra et omnibus quae in ea sunt, tu mihi acceptior, tu mihi amabilior es. Amo te, Deus meus, amore magno, magisque te amare concupisco.

Nunc quidem per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem cognoscam te sicut et cognitus sum, et habitabo beatus in domo tua Domine, et laudabo te in saecula saeculorum. Amen.

Ad Sanctus.

Gloria tibi Domine, cui omne genu flectitur, coelestium, terrestrium et infernorum, quem omnis

coelestis militia concelebrans canit: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth. O! quando veniam et apparebo, Deus meus, ante thronum sanctum regni tui, ubi te laudant omnes angeli et sancti tui, qui tibi incessanter proclamant ineffabile Sanctus, ut ego omnium creaturarum tuarum peripsema, inter illa beatissima agmina, quae laudant te et jubilant super aethera, possim personare voces condignae gratiarum actionis et offerre tibi jubilationis holocausta medullata! Eja Rex meus et Deus meus, intellige clamorem meum, intende orationi meae, et exaudi me, quoniam te vocat, te vult, te requirit cordis mei suspirium et animae meae desiderium. Tu es spes mea a juventute mea, tu ipse es totum hoc, quod volo, quod spero, quod cupio.

Non obliviscaris in aeternum, o Deus animae meae, quam rede-

misti tuo sanguine, sed in exilio hoc benigne consolare me, vivifica me et guberna me, et in extremis meis suscipe misericorditer ad te revertentem spiritum meum, ut deposita corporis mole in sancto appaream coram te, ubi confiteatur tibi cum omnibus sanctis anima et cor meum, quoniam magnificasti misericordias tuas superne, ubi etiam in aspectu divini vultus tui repleatur gaudio cor meum et lingua mea jubilatione; ubi in perpetuum de tua exultem bonitate, et glorier de faciei tuae fruitione sempiterna. Amen.

Ad Canonem et Memento.

Memento Domine, sanctae catholicae et apostolicae Ecclesiae, quae est a finibus usque ad fines orbis terrarum, et pacifica eam quam tu fecisti, et rigasti honorifico sanguine Christi tui. Memento Pontificis nostri N. N., Epis-

copi nostri N. et omnium qui in ecclesia sunt praesulum et pastorum, da eos, nobis integros, pios, orthodoxos et longaevos, recte tractantes verbum veritatis tuae, eosque in omni justitia et pace custodi.

Memento etiam piissimi Imperatoris, vel Regis nostri N. N., quem decrevisti regnare super nos armis veritatis et bonae voluntatis. Corona eum; conforta brachium ejus, et exalta dextram ejus, ut subditae fiant illi nationes, quae bella volunt, et nomen tuum blasphemant, et tribue illi profundam et inablatam pacem. Loquere in cor ejus, ut tranquillam et pacificam vitam peragamus in omni pietate et venerabilitate. Bonos in bonitate conserva, et malos ad emendationem fac venire.

Memento omnium, qui in ecclesia tua bene operantur, et qui pauperum memorantur. Da illis

Domine, pro terrenis coelestia; pro temporalibus aeterna, pro corruptibilibus incorruptibilia. Memento Domine eorum, qui in exiliis, in desertis, in montibus propter te delitescunt, vel etiam persecutionem inter haereticos, infideles et hodiernos impios sustinent.

Memento eorum, qui in virginitate, viduitate aut monachali habitu tibi serviunt.

Memento et fidelium conjugatorum, et promptuaria eorum adimple omni bono, ut in pace et concordia unanimiter fideliterque tibi serviant. Sed et totius populi Christiani memento Domine, eumque tua bonitate conserva.

Parvulos enutri, juventutem bajula, senectutem contine, pusillanimes consolare, dispersos congrega, errantes revoca et sanctae tuae catholicae et apostolicae ecclesiae coaduna. Navigantibus connaviga, inter agentes cointra, vi-

duis patrocinare, orphanos protege, captivos libera, infirmos sana, eosque omnes, qui in ergastulis, exiliis, seu amara servitute, vel in quacunque tribulatione, sive anxietate sunt, misericorditer releva. Memento Domine, omnium benefactorum et amicorum nostrorum; custodi eos ab omni adversitate, et in viam salutis dirige, ut in omnibus tibi complacere valeant; sed et omnibus etiam qui nobis mala volunt, ignosce clementissime Deus, eosque illumina, ut in veritate tibi deserviant, et salvi fiant. Memento Domine omnium, qui postulaverunt nos indignos orare pro illis, eorum etiam qui pro nobis tuam clementiam exorant, et tribue illis secundum pium desiderium cordis eorum. Memento Domine Deus noster, omnium, et super nos omnes effunde divitem misericordiam tuam; omnibus tribuens, quae ad salutem

sunt postulationes, et quorum nos memoriam non fecimus, aut per ignorantiam, aut per oblivionem, seu propter multitudinem nominum, ipse memento Deus, qui scis uniuscujusque necessitatem, item et aetatem et appellationem, et scis unumquemque de ventre matris suae.

Tu es enim, Domine, auxilium miserorum, spes desperatorum, laborantium salus, navigantium portus, languentium medicus, ipse omnibus omnia scis qui scis unumquemque, et postulationem et necessitatem ejus.

Erue Domine familiam hanc, nec non omnem civitatem et regionem a fame, pestilentia, igne, gladio, incursu alienigenarum et civili bello. Virosque hujus loci et regionis conserva in timore tuo, protege misericordia tua et guberna secundum voluntatem tuam sanctam. Benedic pusillis eorum

cum magnis, atque pro honore et beneficiis, quae nobis exhibent, redde illis mercedem in beatitudine sempiterna. Tribue quoque nobis fiduciam, ut quotiescunque divinam tuam Majestatem exoraverimus, adimpleas petitiones nostras in bono; et nunc quaesumus Domine, suscipe nos in manus tuas sempiternas, et exutos vita hac mortali, introduc nos in Jerusalem coelestem, cujus ipse es lumen et remunerator, ut una cum angelis, et omnibus sanctis jugiter collaudemus et glorificemus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum in saecula saeculorum. Amen.

Ad Elevationem corporis.

Omnipotens aeterne Deus, o Pater misericordiarum, en hostiam vivam quam hic et ubique universa tibi offert ecclesia; hanc offero tibi cum omnibus virtutibus et meritis unigeniti tui in illo

amore et virtute, qua ipse tibi in cruce semetipsum obtulit pro nobis; in expiationem omnium peccatorum meorum, in suppletionem omnium negligentiarum et defectuum meorum, et in gratiarum actionem et confessionem omnium beneficiorum tuorum, nec non et in memoriam passionis et dilectionis ejus, pro me et pro fidelibus tuis omnibus, vivis et defunctis.

Eja clementissime Pater, suscipe Jesum dilectum filium tuum, pro nobis in cruce elevatum, pendentem et mortuum, et propter ipsum indulge nobis quae contra te commisimus peccata, exaudi nos clementer in petitionibus cordis nostri, et fac nobis secundum magnam et multam misericordiam tuam. Amen.

Ad Elevationem calicis.

Amantissime Jesu, lava me a maculis omnibus in tuo purissimo

sanguine, et fac per ejusdem effusionem, ut universo mundo cum omnibus peccatis, et vitiis et concupiscentiis moriar, et per incendium amoris tui a meipso deficiam, tibique soli ac in te solo vivam. Amen.

Post Elevationem.

Domine Jesu Christe, qui natus homo in fine saeculorum de Maria semper Virgine, et obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis, liberasti nos tuo sancto et pretioso sanguine, et destructo mortis imperio, omnibus in te credentibus coelestis gloriae aditum reserasti. Te Deum verum et Dominum nostrum, sedentem ad dexteram Dei Patris omnipotentis suppliciter exoro, humiliterque tuam deprecor infinitam et ineffabilem misericordiam, ut per virtutem sanctissimae tuae Passionis et crucis redimas et absolvas me mise-

rum et morte dignum peccatorem ab omnibus malis praeteritis, praesentibus et futuris, et mortifices in me omnia vitia spiritualium et carnalium nequitiarum, et facias me surgere tecum in virtute gloriae tuae, et quae sursum sunt, coelestia desiderare, et quaerere, et ad aeternae beatitudinis gloriam feliciter pervenire, praestante tua immensa clementia Jesu Christe, Domine et Deus noster, qui cum Deo Patre et spiritu sancto in unitate essentiae omnia creando regis, vivificas et gubernas, per immortalia saecula saeculorum. Amen.

Memento pro defunctis.

Memento Domine eorum, qui in spe resurrectionis ad vitam aeternam dormiunt, nimirum parentum, fratrum, propinquorum, amicorum et praedecessorum nostrorum, insuper et omnium quotquot in pietate fideque defuncti sunt.

Indulge illis omne delictum, sive sit voluntarium, sive involuntarium, tam opere, quam sermone, ac mente tenus ab illis commissum.

Largire illis tabernaculum in locis lucidis, et refrigerii, ubi abest omnis dolor, tristitia atque omnis gemitus; ubi visio vultus tui laetificat omnes sanctos tuos a saeculo. Dona illis Domine nobisque regnum tuum, participationem sempiternorum bonorum tuorum, nec non infinitae beataeque vitae fruitionem; tu enim es vita, resurrectio et refectio dormientium servorum tuorum, o Christe Deus noster; qui cum Patre et sancto Spiritu vivis et regnas in saecula. Amen.

Ad Memoriam sanctorum.

Nobis quoque peccatoribus, quos vocasti, et quos sanctificasti, da portionem, Domine, in vocatione tua, et fortifica nos amore tuo, et

custodi in sanctificatione tua; et largire nobis vitam inculpatam, ut cum omnibus sanctis tuis Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus, Confessoribus atque Virginibus, omnibusque iis, qui ab aeterno tibi placuerunt, partem habeamus, et misericordiam et gratiam inveniamus.

Fac nos in hoc saeculo participes meritorum atque virtutum sanctorum tuorum imitatores, ut in futuro nos intra consortium eorundem gaudentes misericorditer admittas, eorumque precibus et ductu post peregrinationem hujus miserae vitae ad portum tutissimum patriae coelestis feliciter perveniamus. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Pater peccavi in coelum et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus; etenim prodigus ille ac profugus, qui sub-

stantiam meam, vires nimirum animae et corporis, et omnem vitam meam et omnia dona tua consumpsi in peccatis.

Veruntamen quia tanto tempore peccatis meis per misericordiam tuam dissimulatis, per benignitatem tuam hucusque sustentatus sum, et beneficiis etiam infinitis, ac inspirationibus tuis amorosis vocatus; cum humilitate et fiducia ad te reverti, clementissime Pater, et dicere audeo: **Pater noster** qui es in coelis &c. O Pater amantissime, quid nunc reliqui est, quam ut inter paternas amplexus misericordiae tuae suscipias et astringas me? ecce venio, ecce curro ad te dulcissime Pater; expande brachia tua paterna, et suscipe me licet indignum, licet vagum, tamen ad te revertentem filium tuum. Cognosce Pater, et recipe quem vocasti; attrahe et astringe me tibi, ut in aeternum

cipere sacramenta, quantumvis adhuc valde debilis sum; verum tamen propter bonum discretionis ex humilitate intermittere consentio communionem; quod ipsum tibi Domino in laudem aeternam offero et procidens tibi rogo, ut fructu sacramenti non priver in anima; quin potius te ipsum mihi benigne acclinans, suscipe me in sinum paternae benignitatis tuae. Et quotiescumque mihi ad te in sacramento venire desideranti, specialibusque ad id orationibus et devotionibus pro posse meo praeparato, communione sacrosancta contigerit abstinere; rogo Domine, ut tunc de torrente gratiae tuae divinae suaviter potatus, satier abundantius in anima mea, et speciali gratia ditatus, tum demum inaestimabilibus deliciis tuis fruar, et divini tui influxus effectum perquam efficaciter sentiam in intimis meis. Amen.

Post Communionem.

Obsecro te, dulcisssime Domine Jesu Christe, per virtutem sanctissimi corporis et sanguinis tui, quod licet indignus accepi, concede mihi veram pro peccatis poenitentiam, amoris tui dulcedinem, fraternae dilectionis sinceritatem, in tentatione fortitudinem, in corde puritatem, et in moribus aedificationem, ut sic vocationi meae satisfaciam, in tuto amore proficiam et in tuo servitio perseverem. Amen.

Ad Benedictionem Sacerdotis.

Benedicat me omnipotens Dei Majestas, protegat me immortalis divinitas, custodiat me sempiterna Deitas. Foveat me gloriosa Unitas, defendat me sanctissima Trinitas, dirigat me inaestimabilis bonitas, regat me potentia Patris, vivificet me sapientia Filii, illumi-

EXERCITIUM

precandi pro diversis hominum

ordinibus, statibus atque conditionibus.

Pro Ecclesia Dei.

Aspice Domine de sede sancta tua. Memento congregationis tuae, et ut mali a te flagellati convertantur, aut saltem extirpatis et resectis istis, justi pacifice tibi servire valeant, concede; tuamque Ecclesiam a lupis rapacibus laceratam, velis ac digneris protegere, et bonos Pastores et Rectores in ea collocare. Per Ch. D. N. Amen.

Pro Episcopis et Superioribus Ecclesiae.

Singulare munus est divinae providentiae tuae, Domine Jesu Christe, quod post summum Ecclesiae Pastorem majores et minores Ecclesiae tuae Rectores, ac imprimis Episcopos ac Archiepiscopos institutos habeamus, qui inde ab ipsis apostolis quasi Religionis antistites, christianum populum spiritualibus in rebus ubique gentium pascant, regant ac gubernent. Qui illos audit, te et patrem tuum audit, qui illos spernit, te utiqne et patrem tuum spernit, suaeque inobedientiae poenas graves dabit.

Concede pastor optime maxime, pastores nobis secundum cor tuum perpetuo praefici, qui gregem tuum tam caro pretio redemptum pascant in judicio et veritate, quique verbo simul et exemplo suum impleant

munus ad nominis tui gloriam, et ovium suarum utilitatem.

Nos vero sub talibus pastoribus, qui legitime vocati et missi per ostium ingrediuntur, fac oves esse morigeras, quae reverentiam et obedientiam suis praepositis debitam ex animo praestent. Amen.

Pro Regibus et Principibus.

O omnipotens aeterne Deus, Rex Regum et Dominus Dominantium, in cujus manu sunt omnium potestates et jura regnorum atque magistratuum politicorum; tibi laus et gloria, qui Reges, Principes et civiles Magistratus non solum instituis, sed etiam usque conservas ad felicem Reipublicae christianae gubernationem, ad bonorum tutelam, ad malorum terrorem, atque ad publicam pacem, ad tranquillitatem populi conservandam atque administrandam. Et quoniam in manu tua sunt corda

Principum, gratiam tuam illis impertias, ut sint, quales tu esse postulas, justitiae amatores, incorrupti judices, nec non pauperum et viduarum patroni atque defensores.

Ac inprimis catholicae fidei sinceri vindices, qui contra impios et reipublicae pestes jure gladii sibi commisso convenienter utantur.

Praestent illi, Domine, cum timore tuo officium suum, ut vere sint tui et justitiae administri, et nos sub illorum imperio quiete ac secure vivamus, tibique caste, pie, ac fideliter serviamus, — qui vivis et regnas omnium judex ac Dominus in saecula saeculorum. Amen.

Pro parentibus, benefactoribus et amicis.

Eximia est benignitas tua, clementissime Deus, quod per pa-

trem, matrem, benefactores et amicos tam multa nobis et necessaria vitae commoda providere, nec solum corpori, sed etiam animo congruentia beneficia dispensare digneris. Da nobis veniam, quaeso, quod collata illorum in nos merita, non quo par erat gratitudinis et observantiae officio prosequamur, quodque legitime illos per omnia non honoremus. Tuam vero pietatem rogamus, ut ejusmodi benefactoribus et amicis, inprimis autem parentibus, post hac plus deferamus, majoremque reverentiam et obedientiam illis clam palam dictis ac factis praestemus. Et quoniam dignam illorum meritis gratiam rependere in facultate nostra non est, tua bonitas inopiam nostram suppleat, ac partim spiritualibus donis, partim aeternis praemiis, quod illis debemus, compensare dignetur. Per J. Ch. D. N., qui tecum vivit in

saecula benedictus, et largus est bonorum remunerator.

Pro aegrotis utriusque Sexus.

Deus humanae infirmitatis praesidium ac restaurator, sub cujus nutibus cuncta vitae nostrae momenta percurrunt, aegrotis ac infirmis famulis tuis, quorum vitae metuimus, misericordiae tuae veraeque salutis opem supplices imploramus. Agnoscant illi se virga tua paterna visitari et corripi: tuae bonitati et providentiae fidenter sese committant, nec minus animi quam corporis incolumitatem quaerant et ament.

Auge illis patientiae donum, ut in morbo sine pusillanimitate, impatientia et murmuratione versentur. Quodsi expedit illos convalescere, tu media necessaria eisdem provenire concede, ut sanitate restituta, majores in justitia progressus facere

velint et possint. Si vero illos de hoc mundo evocare statuisti, fiat, pater, voluntas tua, simulque praesta virtutem, quae illos ad extremum vitae spatium rite disponat ac praeparet. Non ex timore, sed amore tibi ac Ecclesiae reconcilientur; mature sacramentis utantur, eorumque virtutem percipiant, patientia duce dolores propter te superent. Contra hostes ac tentationes omnes pugnent fortiter, tuum adventum excipiant vigilanter, in pace sancta demum obdormiant, ad te summum aeternumque bonum recte proficiscantur. Amen.

Pro Inimicis, aemulis vel obtrectatoribus.

Mitissime Domine Jesu Christe, qui nostros inimicos et calumniatores a nobis diligi, nostrasque preces pro persequentibus et offendentibus effundi praecipisti; immo qui et ipse pro capitalibus

tuis hostibus in cruce precatus es, auge nobis, quaeso, christianae mansuetudinis et lenitatis Spiritum, per quem cunctis ex animo quasvis condonemus offensas, omnemque hominum malevolentiam et injuriam vera patientia et fraternae dilectionis officio superemus. Tum inimicis nostris veram pacem et caritatem a te dari petimus, ut integram peccatorum suorum veniam accipiant, atque non sine vera fide ac patientia ex hac vita decedant. Nos vero clementer juvari petimus, ut malum in bono vincamus, nec solum a visibilium, sed invisibilium etiam hostium insidiis, perturbationibus et periculis servemur illaesi. Per Jesum Ch. filium tuum D. N. Amen.

Pro adversariis Ecclesiae Catholicae.

Deus, Christianae pacis caritatisque auctor, amator et custos,

qui per filium tuum unitatem Ecclesiae maxime commendasti, eamque inviolabilem inter fideles manere sanxisti, potenter conserva et defende nos adversus ecclesiasticae pacis et unitatis perturbatores ac hostes, sive clancularios, sive manifestos. Miserere omnium, obsecro, qui ab ejusdem Ecclesiae unitate seipsos segregarunt, novis sectis addicti, aut pestiferis seducti erroribus, vel qui ex contemptu Ecclesiae Catholicae nova spargunt ac tuentur dogmata. Ignosce illis Domine, quia nesciunt quid faciunt, aut si sciunt non tamen satis expendunt secum, quantumque sit scelus, te caput Ecclesiae in membris et praepositis persequi, et a corpore tuo, quod est Ecclesia, per nefarium Schisma seipsum praescindere, tuamque inconsutilem tunicam sacrilege lacerare.

Horum igitur oculos errorum

et schismatis tenebris obcaecatos, tu, qui vera lux es mentium, clementer illustra, ut seipsos videant, ac videndo resipiscant, tibique summo Pastori et ovili tuo, extra quod nulla salus esse potest, per Ecclesiae claves reconcilientur.

In tua potestate situm est, ut e Saulis Pauli, et ex errantibus Thomae et Augustini efficiantur, et vere conversi Catholicam fidem constanter praedicent, nomenque tuum sanctum cum salute multorum glorificent. Amen.

Precatio in cruce vel tentatione positi.

Domine Jesu ac Redemptor omnium, qui ad gloriam tuam et salutem nostram laeta permisces tristibus, et in profectum nostrum secunda et adversa evenire concedis, bonitati tuae gratias ago, quod mei fueris recordatus et hac

exigua cruce servum inutilem visitaveris.

Peto autem gratiam, ut ex hac qualicunqne visitatione atque tentatione fructus et proventus, quem tu desideras, acquiratur, neque qualicunque mea impatientia vel ingratitudine impediatur; tuam, quaeso, manum porrigas imbecillo, meque sicut Petrum apostolum, quum immergi coepisset marinis fluctibus, potenti dextera tua erige, ne sub hac cruce labascam et concidam. Nota et probata est virtus tua, per quam Loth e Sodomis, Jacob ab iniquo fratre, Israel a Pharaone, David a rege Saul, Jonas e ventre ceti, Daniel ex lacu Leonum mirabiliter erepti atque servati sunt. Quod autem potes, id velis etiam, rogo, ut praesentem et amarum carnique molestum calicem a me transferas, sicut Regem Ezechiam cum lacrymis orantem exaudisti, et a

lethali morbo mirabiliter liberasti. Verumtamen non mea, sed tua quae semper justa est et sancta, voluntas fiat.

Penes te stat omnis auctoritas de filiis judicandi atque decernendi, nec novit quisquam te rectius, quae pharmaca morbis nostris curandis conveniant. Argue, corripe, ure, seca, pater hoc tempore, ut in aeternum parcas, neque in furore tuo peccata nostra inferni flammis exuras. Paratum cor meum, paratum cor meum Deus, quomodo et quamdiu tibi placuerit me paternae virgae tuae subjici, meamque patientiam in cruce probari. In te Domine speravi, non confundar in aeternum.

Me totum voluntati tuae submitto atque committo. Etiamsi me occideris, in te vitae fontem sperare non desinam: in manibus tuis sortes meae. Amen.

Pro afflictis Precatio.

Deus, qui contritorum non despicis gemitum, et moerentium non spernis affectum, adesto precibus nostris, quas tibi pro tribulatione nostra effundimus, easque clementer exaudi; ut quidquid contra nos humanae moliuntur adversitates, id ad nihilum redigatur, et consilio tuae pietatis allidatur.

Quatenus nullis adversitatibus laesi, sed de omni tribulatione et angustia erepti, in Ecclesia tua tibi gratias laeti referamus. Dimitte nobis peccata, quae omne malum creant, et misericordiam optatam afflictis nobis tribue, ut sanctis omnibus apud te intercedentibus, veniam, incolumitatem et pacem consequamur. Per D. N. J. Ch. Amen.

Pro pauperibus et miseris ad extremam fere calamitatem redactis.

Deus, refugium pauperum, fortitudo laborantium, et praepotens lugentium consolàtor, immensae misericordiae tuae commendamus inopes et calamitosos, ubicunque gentium degant, quorum numerum, angustias et aerumnas ineffabiles tu solus agnoscis et perspicis.

Et quoniam pater desolatorum existis, ne despicias, quaeso, gemitus, lacrymas, clamores, dolores, angores, desideria tot pupillorum, exulum, peregrinorum, sive juste, sive injuste maximis calamitatibus afflictorum, adeoque cum morte acerba conflictantium. Respice Pater misericordiarum, hanc familiam miserrimam, in qua tui fideles morbis, peste, fame, bello, clade, igne, aqua, fulmine, carceribus, naufra-

giis, suppliciis, aliisque modis gravissime discruciantur.

Parce illis Domine, quia tempus miserendi venit, aperi illis viscera misericordiae tuae, qui te invocantibus Israelitis ac aliis tam multa non solum promittere, sed etiam liberaliter offerre, et praeter omne meritum saepe donare dignatus es. Justitia tua convertatur in clementiam, ut ubi abundavit peccatum et poena peccati, illic abundet et gratia per Jesum Christum filium tuum pro peccatoribus traditum. Respice igitur, Pater aeterne, calamitosos, pro quibus intercedimus, et quorum animas filius suo ipsius sanguine sibi comparavit, iis in corpore et animo propitius esse dignare. Famem illorum gravem depelle; pestem et bellum, ac hostilem impetum tolle, vincula dissolve, carceres aperi. Errantes in viam redeant, exules patriae, infirmi

sanitati, peregrinantes portui suo restituantur. Patrem suum cum latrone illo habeant, qui tametsi sero poenitentiam ageret, tamen filium tuum habuit consolatorem, ab eo etiam Paradisi gaudiis exhilaratus. Tu patre Abraham clementior, Lazaros in paternum sinum accipe, et in Cruce ipsa consolare, ut misericordiae tuae praesidiis refocillati, adversa cuncta propter te levius et constantius ferant, tuamque praesentem opem et confortationem angelicam quum saepe alias tum in morte ipsa experiantur. Per eundem Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Diversae

CONSIDERATIONES,

quae ad amplectendam poenitentiam nos inducant.

DIE DOMINICA.

Rogo vos, Charissimi, ut de salute vestra soliciti, diem judicii semper pertimescatis, diem mortis suspectum quotidie ante oculos habeatis.

Cogitate quales eritis praesentandi Deo omnipotenti vel qualem pro meritis vicem recepturi; an possitis in illo die illibatum referre quod in Baptismo promisistis: quae procul dubio cautio et

confessio vestra semper manet apud Deum; hanc ergo promissionem semper in memoria retinete; ut hoc quod Christiani vocamini, non ad judicium vobis sit, sed ad remedium; ideo enim Christiani vocamini, ut semper Christiani opera faciatis, a carnalibus scilicet desideriis et operibus abstineatis, cum daemone nullum habeatis commercium, neminem oderitis, laedatis, aut circumveniatis, ebrietatem vitetis, superbiam fugiatis, castitatem ametis, humilitatem sectemini, misericordiam exerceatis, luxuriam detestemini, semper de futuro saeculo et aeterna beatitudine cogitetis, ac plus pro anima quam pro corpore laboretis. O Christiani! agite bona opera, dum tempus habetis, et de substantia vestra liberaliter pauperibus erogate, quia charitas operit multitudinem peccatorum, et eleemosyna a morte redimit,

nec patitur animam ire in tenebras; redimite igitur animas vestras a poenis, dum habetis in potestate remedia, ut securi in die judicii compareatis ante judicem, et misericordiam quoque obtineatis in coelis.

Vobis loquor Sacerdotes et viri religiosi, corrigite vitam vestram; unusquisque dum potest, vitia sua profliget, mala quae fecit poenitentia expiet.

Si usque in praesens male vixistis, ad Dei vos auxilium conferte, de ejus misericordia nunquam desperate; cito vos corrigite et toto corde agite poenitentiam, antequam de hac luce decedatis; si enim sine poenitentia abieritis, non ibitis ad requiem, sed praecipitabimini in gehennam ignis, unde nunquam exire poteritis, sed illic ardebitis in saecula saeculorum.

Miseremini, quaeso, animae

vestrae, futura considerate, et salutaria semper animo volvite, ne stupido pectori repente subrepat inimicus, vel per stultam oscitantiam et incuriam serpat in animam avidus adversarius; cum turpem ille sensibus vestris cogitationem suggerit, proponite vobis futurum Dei judicium, inferni supplicia; si sic feceritis, mox turpis cogitatio evanescet, nec vos deseret virtus Christi, quia sperantem in Domino misericordia circumdabit.

Diligite vos invicem, charissimi, non falsa sed vera dilectione, actiones vestras ad Deum semper dirigite, et quidquid potestis pro studio et amore vitae aeternae laborate, currite dum lucem habetis, priusquam vos tenebrae comprehendant. Si laborem pro carne suscipitis, etiam pro anima laborem ne recusetis.

Modicus est labor, qui pro Christo suscipitur in praesenti, at

ingens in futuro erit praemium, nec sunt condignae passiones hujus mundi ad futuram gloriam, quam expectamus in coelis.

Agite ergo poenitentiam, ut ante mortem a peccatis expurgati, intretis in gaudia Paradisi, quoniam siquis cum peccato mortali moritur, de qua non egit poenitentiam, sine ullo remedio, igne ardebit. Aperite manum pauperibus, ut Christus suam vobis januam aperiat; plorate pro commissis, vigilate et orate, et misericordiam impertietur vobis Deus misericors, qui verax est in promissis; et quos creavit nunquam despicit, ipsi laus et gloria in saecula. Amen.

Pater noster et Ave.

FERIA SECUNDA.

Pro fugiendo peccato, et conversione peccatoris ad Deum.

Quid sibi vult, o peccator et insane mundi hujus amator, ista tanta mentis tuae obduratio, quod nec inaestimabile coeli praemium, nec intolerabilis gehennae metus a peccato te retrahit? An non voluptatem carnis brevissimam, mundi gloriam momentaneam, poenam vero peccantibus debitam sedulo attendis aeternam? Ecce mundus transit et omnis concupiscentia ejus; homines quoque moriendo transeunt, et nemo diu in hac vita manere permittitur. Manifestari autem nos omnes oportet ante tribunal tremendi Judicis, ut referat unusquisque secundum opera sua. Quid tunc facies, o peccator, cum judicem super te

conspicies iratum, et quomodo sententiam illam terribilem: Ite maledicti, quomodo amaritudinem poenarum damnationis aeternae sustinere poteris? Quid tunc tibi voluptates tuae, quid honores, quid opes, luxus et potentia proderunt? Recogita diligenter quam innumeri nunc torquentur in inferno, qui in bonis duxerunt dies suos, quemadmodum et tu facis, quos turpiter fallax mundus decepit et in profundum demersit.

Idem te manet exitus, nisi poenitentiam egeris, et peccatum, dum tempus est acceptabile, fugeris. Quomodo peccata non detestaberis, quod tantorum tibi malorum seminarium est futurum, quod Christo Redemptori tam est contrarium et exosum; et quomodo pro ejus amore non abstinebis ab omni scelere vitiorum, qui se totum tibi tribuit, et aeternam tibi secum, si volueris, feli-

citatem paravit in coelo? Ingratus certe es, o peccator, qui creatus ad imaginem Dei, factorem tuum amare super omnia debueras, et tuis cum peccatis indesinenter inhonoras; Christo Dei filio, cujus sanguine redemptus es, continuum amoris servitium rependere deberes, et tu plus carnem, plus creaturas, quam tuum salvatorem, diligere non metuis? Inter filios Dei per solam misericordiam adoptatus, et ad haereditatem supernam vocatus, sponte tua dereliquisti fontem vitae, mortem elegisti sempiternam, peccando, inquam, factus es socius et membrum daemonis, haeres inferni, et cum in honore esses, noluisti intelligere, sed comparatus es jumentis insipientibus, et similis factus es illis. Haec sunt praemia, quae mortaliter peccando acquisivisti; haec munera quae diabolus servis suis retribuit. Mise-

rere animae tuae, o peccator! quae Christo tanti constitit, et noli te ipsum in poenas nunquam finiendas detrudere, dum laetari perpetuo cum angelis, si volueris, in manu tua sit. Sed in re tanti momenti, quae tibi aeternitatem importat, propera, obsecro, et noli de die in diem differre conversionem tuam et poenitentiam, quoniam quid crastina die tibi sit allatura, tu nescis; et qui poenitentis humilem non despicit confessionem et affectum, differenti diem crastinum non promisit. Vigila ergo et instanter operare, et miserebitur tui Deus, quoniam pius est poenitentibus, et misericordia ejus inexhausta est et infinita. Amen.

Pater noster et Ave.

FERIA TERTIA.

De non proroganda poenitentia, et de brevitate vitae et prosperitatis hujus mundi.

Consideremus, fratres, quam longe recesserimus a semitis benignissimi Redemptoris nostri, et revertamur ad eum in toto corde nostro, qui cor contritum et humiliatum non despicit; et agamus poenitentiam, quia via salutis dereliquimus, carni potius quam spiritui servientes.

Nemo semetipsum spei vanitate decipiat, nullus ultimam vitae hujus horam, quando jam nequeat peccare, pro poenitentia expectet, quia nec vitae quantitas habet certitudinem, nec dilatio poenitendi securitatem. Qui sanus non poenitet, stultus est, et qui non emendat vitam cum potest, justo

Dei judicio dilatam amittit potestatem.

Tunc enim fructuosa poenitentia cum arbitrii libertate fuerit voluntaria, sed mortis jam instante periculo videtur potius esse necessaria, quam propria poenitentis electione assumpta. Nimis certe periculosa est ista cogitatio, ad ultimam vitae particulam poenitendi differre laborem, et dubia valde est res poenitentiam agere, cum jam necessitas compellit, et mortis te instantia facit non amplius posse peccare, quando videlicet non tu peccata, sed illa te dimittant. Quapropter si volumus esse conscientia tuti atque securi, agamus poenitentiam dum sani sumus, dum peccare possumus, dum adhuc nulla mortis necessitate instantis urgemur.

Nullumque est peccatum tam parvum, quod non crescat neglectum; affert sua quaeque nova

incommoda dies, et quid crastina die futurum sit, ignoramus.

Vitae autem certum terminum, quem unicuique divina providentia statuit, sicut latere omnes voluit; ita nulli poenitentiam ex intentione differenti prolongabit. Summo igitur studio nobis invigilandum est, ut tempus poenitentiae concessum utiliter expendamus. Transit enim mundus, et praetereunt vitae nostrae dies: jam autem tempus acceptabile est, in quo laborare possumus, et bonum sine intermissione operari praecipimur, pro quo praemia consequamur aeterna. O quam multi spe vitae longioris decepti ad barathrum damnationis aeternae descendunt, qui poenitentiam agere sani contempserant, et tempus visitationis suae agnoscere noluerunt! Putat se dives et avarus diu vivere in saeculo, putat honoratus in mundo prosperitate

sua multo tempore frui, et voluptuosus homo delictis omnigenis in terra satiare. Sed dum praesentibus et vanis solis intenti, quasi in aeternum essent victuri, de coelesti patria minime cogitant, neque ad eam praeparare se curant. Adest mors pro foribus quae omnia eorum consilia dissipat, et dum in bonis ducunt dies suos, ecce improvise rapiuntur, et cruciandi perpetuo ad inferos destinantur. Quid tum illis proderunt honores qui amplius non sunt, quid vanae mundi divitiae, quid transactae voluptates? Parvo certe tempore carnis et mundi gaudia durant; omnis potentatus brevis vita, brevis omnis potestas atque prosperitas, et non est stabilis in mundo divitiarum possessio. Cognosce igitur conditionem tuam, o homo! cognosce interitum. Conditio tua moralis est, vita brevis, certus interitus.

Non te decipiat mundi vana prosperitas, non abducat immunda voluptas, non seducat auri cupiditas, non elevet brevis honor et potestas. Fac bona dum vivis, et honora Dominum de tua substantia, quia post mortem non erit amplius in tua potestate. Cognosce te peregrinum in mundo, et plus quam pro viatico necessarium est, noli appetere, Labora, ut bonus miles Christi, et operare bonum dum potes, quia militia tua finietur brevi, et post mortem nulla est amplius operatio, sed bonorum malorumque operum remuneratio.

Quid tardas, o peccator, quid dormis? cur aggravas cor tuum, et iram tibi thesaurizas in die judicii? Cur non respondes benignitati Dei, qui te ad poenitentiam vocat, et conversum tam libenter excipiet? In hoc salutis tuae negotio nihil mora periculosius, quia

saepe dum velle negligitur, posse aufertur; frequenter etiam mora mutat propositum et remissis conatibus multae parantur insidiae, et quid prodest emendationem proponere, si semper in luto jaces veteribus peccatis nova quotidie accumulans? Attende tibi, peccator, age poenitentiam, dum tempus est, et misericordiam apud Deum invenies.

Pater noster et Ave.

FERIA QUARTA.

De memoria et amaritudine mortis.

Fili, memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis; omnium enim terribilium terribilissima est mors, quae cum maximis doloribus animam rapit de corpore; quae in pulverem carnem redigit, et spiritum pro meritis judicandum ad tribunal Dei trans-

mittit. Nulla autem aetas de morte secura est, nullum tempus tutum, locus nullus sub coelo immunis. Unde aequum est, ut in omni aetate, loco et tempore vigilemus et mortem continue parati expectemus, sicque deinceps a peccatis caveamus et vivere studeamus, ut mori non timeamus. Bona enim conscientia mortem confidenter expectat, eamque salubriter timendo, bene vivere satagit; sed mortem impii timent et exhorrent, quoniam terrenis cupiditatibus implicati discedere ab hoc saeculo pertimescunt, quoniam male sibi conscii judicis adventum expavescunt. Sicut enim mors bonis est introitus de paupertate et poenitentia ad regnum; ita reprobis transitus est de gloria et voluptate ad infernum. O Mors! quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantia sua! O quam sine consilio est, et

sine prudentia gens hominum! Utinam saperent et intelligerent, ac novissima providerent. Ecce mors properat, districtum Dei judicium appropinquat; mundus transit et concupiscentia ejus. Moriuntur homines, et tanquam non fuerint a memoria nostra rapiuntur, aeternitas autem vel vitae vel poenae post hanc brevissimam vitam succedit. Cur ergo non rebus tuis provides. O peccator? qui cito ad judicium Dei rapieris, et omnia hujus mundi relinquere debebis, quo usque miser dissimulas et dormitas? quamdiu poenitentiam differes? Constitutum enim est hominibus semel mori, nec evadere mortem possumus, licet eam per aliquot annos differamus. Ecce moriuntur quotidie ante oculos tuos homines, decedunt repente pueri et senes, cedunt in foveam docti et insipientes, mundus ruit, pereunt ho-

mines, civitates subvertuntur, nihil diu permanet in humanis, et adhuc dura mens tua, o peccator, non concutitur, et veluti securus nihil de tua morte cogitas? Oh! quamdiu dormitas, o homo! quare vitam tuam non emendas, quare sanus et fortis, non agis poenitentiam? Quousque te moriturum non recognoscis, et aeternitatem, quae post mortem sequitur, non attendis? Dilige et sequere mundum quantum volueris; mors cito veniet, quae te ab omnibus quae inordinate amasti, multa cum amaritudine avellet; et vitae praesentis dans terminum, aeternae, nisi in tempore resipueris, dabit quoque calamitatis initium.

Ubi sunt nunc excelsi et fortes, qui dominati sunt in mundo, ubi divites et epulones, ubi voluptuosi et carnales? Quid nunc eis reliqui est ex tantis honoribus, qui tam brevi tempore duraverunt, ex

suis divitiis et spurcissimis carnis voluptatibus? Heu! quia transierunt ita omnia et sicut fumus evanuerunt! jam mors omnia eis abstulit, poenitentiae tempus expiravit, gloria in opprobrium transiit, voluptas in poenam sine fine duraturam mutata est, et abundantia in miserrimam egestatem.

Sicut ipsi mortui sunt, sic et tu morieris, et idem te qui illos manet exitus, nisi poenitentiam egeris et ad mortem te praeparaveris.

O! Si mortem mox venturam saepius mente revolveres, certe vitam emendares, et ad compunctionem movereris. Nihil enim tam desideria carnis mortificat, nihil tam poenitentiam accelerat, nihil tam mundum et quae in eo sunt despicere facit, quam frequens et intenta meditatio mortis; nullusque adeo ferus est, et superbus, qui non mansuescat cogitans se brevi moriturum.

Idcirco, memento homo mortis tuae, quam nullo consilio potes evadere, taliterque vitam dispone et vigila, ut semper vocante te Domino paratus inveniaris, et felix et tuta fiat hinc emigratio tua. Non te decipiat spes vitae longioris, quia quando non putamus, migrandum nobis erit; quotidie ad mortem tendimus, quotidie una pars vitae nobis amputatur. Memoria nostra cito peribit, sicut et omnium, qui nos praecesserunt, sola bona opera nobis post mortem valebunt, ipsa sola securitatem nobis in morte praestabunt, et misericordiam nobis a summo Judice impetrabunt. Amen.

Pater noster et Ave.

FERIA QUINTA.

De judicii et inferni consideratione.

Duo nobis metuenda judicia imminent, quorum neutrum pote-

rimus subterfugere, sed necessitas nos compellit in utroque comparere. Alterum particulare dicitur, in quo statim post mortem anima pro meritis vel ad gratiam vel ad poenam in omnem aeternitatem judicatur; o quam tremebunda ibi consistet anima ejus facta, dicta et cogitata, dum daemon, et propria conscientia accusabunt, dum sententiam suam pavida nimis expectabit, et quid tunc aget infelix, si per poenitentiam antea non pacavit judicem, si bonis operibus comitata non comparet, si vivens aliquos ex sanctis non conciliavit sibi amicos, qui in extrema hac necessitate pro ea interpellent? Alterum vero generale nominatur, quod erit in consummatione saeculi, ubi congregabuntur omnes gentes, et publice omnes judicabimur a filio Dei unigenito, et incommutabiles duae in omnem aeternitatem pro-

ferentur sententiae; utrumque nimis terribile judicium et cunctis mortalibus valde metuendum, nunquam a memoria seponendum.

Quis enim astare summo judici peccatis oneratus non paveat? Quis ad memoriam vocis angelicae: Surgite mortui, venite ad judicium, corde et corpore non contremiscat, et quis ad fulgur terribilis illius et finalis in reprobos sententiae: Ite maledicti in ignem aeternum, non fremat, non inhorrescat? Si justus timet et vix salvabitur, quid nos peccatores et miseri dicemus in ista die? Quomodo stabimus ante districtum judicem? Qua facie comparebimus, et quid respondebimus undique graviter accusati? Ibi erit judex aequissimus et inflexibilis, nihil ignorans eorum quae fecimus; ibi manifestabuntur universis occulta cordium; ibi erunt quae fecimus mala nos

graviter accusantia; aderunt circumcirca pro testimonio contra nos infinita daemonia, apertum videbimus chaos infra nos horridum, judicem super nos conspicimus iratum, et ex omni parte extremum nobis imminere periculum. O! quam horribile est incidere in manus Dei viventis!

Quis non timeret apparere et strictissimam de factis, cogitatis et prolatis Deo aequissimo judici reddere rationem? Quis non expavesceret diem hunc Domini terribilem, et quantam putamus esse confusionem in conspectu Dei et omnium mortalium, omniumque Sanctorum et electorum ejus denudari opera nostra, manifestari secreta, aperiri clausa cordis, publicari immunda cogitationis; ubi erunt manifesta omnia abscondita, justorum ad gloriam, impiorum ad poenam. Et quomodo stabit ibi superbus, quomodo lu-

xuriosus, quomodo avarus et quilibet vitiosus, cum omnia peccata sua in conspectu omnium Sanctorum ad maximam sui confusionem revelabuntur? O! quanta confusio peccatores circumdabit in illa die horribili, ubi nullum secretum latebit, sed omnia venient ad lucem? O quam incredibilis horror invadet tunc impios omnes, et quam metuendam sunt audituri sententiam: Ite maledicti in ignem aeternum, qui praeparatus est diabolo et angelis ejus. O malorum omnium pessimum, o! tristitia omnium tristitiarum profundissima, a consortio Sanctorum dividi, et cum daemonibus in aeternum cruciari! O vox omnium terribilissima! O sententia metuenda et nimium horrenda, odiri pro demeritis a Christo, exprobrari a judice; separari a consortio gloriae, et nullam spem recuperationis amplius retinere.

Cogitate nunc, fratres, futuras illas impiorum poenas, et comparate quoscunque transeuntis aevi cruciatus, omniaque cogitabilia hujus mundi tormenta, ad illa sempiterna damnatorum supplicia, et erunt sicut nihil ad aliquid, imaginatio ad veritatem, somnium ad vigiliam. O aeternum! quam inexcogitabile tempus, aevum sine fine, saeculum sine tempore.

Beatus qui haec praecogitat in tempore, quoniam tentationes carnis et legem peccati facile superabit, qui harum rerum cogitationem in memoria retinet, et beatus, qui nunc praevidet in tempore, quomodo post hanc brevissimam vitam bene habet in aeternitate.

O bone Jesu! educ de inferno animam meam, miserere mei dum tempus est miserendi, et salva me propter nomen sanctum tuum. Amen.

Pater noster et Ave.

FERIA SEXTA.

De violentia nobis facienda propter regnum coelorum.

Audi Christiane, qui propter Deum creatus es, et ad perennis regni gloriam invitatus. Deus venit ignem mittere super terram, et quid vult nisi ut ardeat? Felix illa conscientia, in cujus pectore propter Christi amorem nihil ardet, qui Deum diligit super omnia, qui vanitatis studia contemnit universa. Examina diligenter, obsecro, nunc teipsum, si Deum sic diligis, et ardet jam in te ignis divini amoris, quatenus fomentum adhibeas necessarium, ne quando per tuam tepiditatem sancti fervoris igniculum sentias penitus extinctum. Sicut enim ignis subtracto fomento lignorum necessario extinguitur; sic amor Dei, si desint continuata bonorum operum

exercitia, mox evanescens periclitatur; et qui Deo in vera puritate cordis famulari desiderat, cum humili in Deum confidentia, bonum sanctae conversationis propositum novo semper fervore spiritus, singulis quantum praevalet momentis, restaurare, et desiderium suum ad ulteriora extendere debet, ne ibi perniciosum incidat deficiendi periculum, ubi proficiendi non innovatur appetitus.

Cor hominis enim mobile est, quod ad singulas pene cogitationes alteratur, et in eodem proposito difficulter potest consistere, nisi violentia quadam intentione restringatur, et qui semper ad anteriora et meliora non proficit, ad id, quod malum est, facile recidivat, et qui in conversatione spirituali tepide procedit, etiam minima non spernens et sanctiora non curans, paulatim is retrocedens decidet, et spiritualis fervo-

ris atque propositi cito sentiet detrimentum.

Et multi nimis inter eos, qui Deo serviunt, remissi et desides inveniuntur, qui sub onere spiritualis militiae frequenter succumbunt, et raro ad verum spiritus fervorem resurgunt; qui, cum diu manserint in acedia torpentes, a mala consuetudine oppressi succumbunt ac retrocedunt, ita ut, etiamsi praesto sit auxilium divinum, animi eorum torpore obesi auxilio lato jam uti non possint. Haec autem illis mala contingunt propterea quod voluntas eorum a carnalibus nondum est purgata passionibus, nec bonum sic volunt sicuti noverunt, a propria concupiscentia illecti et abstracti. Nulla sine labore virtus acquiritur, hostis sine congressu nullus superatur. Si vis coronari, vince, si vincere cupis, necesse est, ut fortiter ac perseveranter

praelieris. Resistendum est, si Deo vis servire, tentationibus quae continuo nos impugnant, resistendum est fortiter inordinatis motibus et concupiscentiis carnis, reluctandum est animo constanti blandimentis et vanitatibus saeculi, per orationes, mortificationes, et magnanimitatem spiritus, fugandus est daemon noster salutis adversarius. Nemo somnolentus, piger et accediosus aptus est ad regnum coelorum; nemo sine labore et sudoribus obtinet coelum; dicit enim Dominus in Evangelio: Regnum Dei vim patitur, et violenti, hoc est, qui malis concupiscentiis carnis constanter resistere noverunt, rapiunt illud. Armemus nos igitur scuto fidei, et mortificantes nosmetipsos in his quae carnis sunt et saeculi, induamus loricam constantiae ac patientiae salutaris, ut praeparati adversus omnia quae nobis accidere possunt, per humi-

litatem et fervorem spiritus, adjuvante Domino Jesu Christo. O! anima fidelis, quae coeleste vocaris ad regnum, quid tibi difficile videri debet in hoc mundo, ut Christo Redemptore tuo immortali fruaris in futuro?

Quid terrenis immoraris, quando non est in hac vita patria, sed vita tantum per quam iter ad gaudia? Quare ad opus non accingeris, cur poenitentiam non amplecteris, passionibus vitiosis non resistis? Regnum Dei vim patitur, et ad coeleste regnum non venitur per desideria vana, sed spiritus. Vana autem desideria nemo potest extinguere, nisi qui gratia Dei adjutus vim sibi noverit inferre, voluntatem propriam pro Dei amore contemnendo, vanaque desideria et tentationes omnes fortiter propter regnum coelorum superando. Hoc enim est, quod dicit Dominus: qui vult venire

post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me: ipse est qui viam nobiscum planavit, ipsum sequamur in via crucis, ut et in gloria ipsi quandoque conregnemus. Amen.

Pater noster et Ave.

SABBATO.

De gloria Paradisi.

Beatus homo, qui nunc praevidet in tempore, quomodo post hanc brevissimam vitam bene se habeat in aeternitate. Sicut enim impiis aeterna sunt praeparata cum diabolo tormenta, sic et Deum diligentibus talia sunt praemia destinata, quae nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis comprehendere potest. Et quid tam grave est in hoc mundo, quod non libenter perferre debeamus, ut tanti boni gloriam mereamur possidere? Vere non sunt con-

dignae passiones hujus temporis ad superventuram gloriam, quae revelabitur in Sanctis, ubi nulla erit discordia, nulla penitus dissonatio, sed erit summa pax omnium et sempiterna concordia laetantium Sanctorum. In coelesti namque Sanctorum beatitudine gaudium est verum sine tristitia, pax sine discordia, bonitas sine malitia, laetitia sine fine, lux sine tenebris, vita sine dolore perennis. Ibi est dulcedo sine amaritudine, requies sine labore, amor sine vitio, claritas sine nubilo, satietas sine fastidio. Sine taedio manet aeternitas, sine defectu exuberat bonitas, sine misericordia continuatur felicitas.

Nam ubi Deus est omnia in omnibus, perfectum et plenum gaudium aderit universis. Ibi anima sancta principio suo per amorem conjungitur, intellectus ad cognitionem summi boni perfecte

illuminatur, et ex duobus istis fruitio aeternae felicitatis exultantibus infunditur. Deum siquidem in regno aeternitatis cognoscere et diligere, est ipsam felicitatis gloriam fruendo possidere; et ad hoc conditus est homo, ut Deum Creatorem suum esse summum bonum intelligat, intelligendo super omnia diligat, amando in aeternum fruatur atque possideat. Immensum ac inexcogitabile est illud bonum, quod omnipotens Deus suis amatoribus in aeterna felicitate praeparavit sine fine perpetuo mansurum.

Concede, omnipotens Deus, me illius felicitatis fieri consortem, ad quam me creasti et tanto cum amore destinasti. O bone Jesu, respice in me et miserere mei, quia unicus et pauper sum. Da imperium tuum puero tuo, et salvum fac filium ancillae tuae. Vae mihi misero, si contigerit me tam alienum fieri a

consortio Sanctorum, quam dissimilis sum a conversione et exemplo eorum. Sed confido, quoniam qui creavit et fecit me, ipse salvabit me propter se.

Fac, o bone Jesu, ut agrum cordis mei diligenter excolens semperque malorum affectionem inde extirpans, hic seminem in lacrymis compunctionis et devotionis, quod postea metam cum omnibus Sanctis in exultatione, et purus et mundus hinc recedans ad patriam, in qua tu praesides et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Pater noster et Ave.

Pro eligendo vitae statu.

(Ex libro Sapientiae.)

Omnipotens aeterne Deus, qui fecisti omnia verbo tuo, et sapientia tua constituisti hominem. Mitte illam de sedibus sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuae, ut

mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te. Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? Cogitationes enim mortalium timidae, et incertae providentiae nostrae. Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Sensum autem tuum quis sciat, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis, et sic correctae sint semitae eorum, qui sunt in terris.

Veni sancte Spiritus,
Et emitte coelitus,
Dona tuae gratiae.

Ecce mi Domine, ad omnes status indifferentem me tibi sisto, illum promptus amplectar, ad quem tu me vocaveris. Vis, ut de terra mea, de cognatione, de domo patris exeam? Paratum cor

meum. Nec patria, nec cognati, nec opes, nec voluptates me tenebunt. Vis, ut relictis omnibus, in religiosa paupertate, castitate et obedientia tibi serviam? Paratum cor meum. Vis me in ecclesiastico statu vivere? Paratum cor meum. Sed ad hunc, oro ne viis illicitis me pervenire, neve turpiter in eo sinas vivere. Praepropera me potius morte ad te ex hoc mundo evoca. Vis, ut coelibem in saeculo vitam, aut honestum conjugium habeam? Da ostensionem beneplaciti tui; paratum cor meum. Ad laeta et tristia, ad suavia et aspera me offero.

Tecum paratus sum, et in carcerem et in mortem ire. Luc. Cap. 22. V. 33.

Oratio ad B. Virginem.

Ad te, o Mater misericordiae, inter instabiles hujus vitae fluctus,

oculos meos levo. Dirige o Mater aeternae lucis, cor meum ad polum suum, filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, et deduc me ad talem vitae statum, in quo eidem filio tuo digne serviam, et denique optatum coelestis patriae portum obtineam. Amen.

Oratio pro perseverantia in concepto bono proposito.

O benignissime Deus, ostendisti mihi viam, in qua ambulem; judicia tua et leges manifestasti mihi, nimirum in statu hoc me tibi vis servire; gratiam, oro, impertire, ut huic meo proposito constanter insistam, atque aeternam salutem consequar. Amen.

Pia suspiria

ex sacra Scriptura deprompta, ad impetrandam remissionem peccatorum.

Peccavi, quid faciam tibi, o custos hominum?

Quare posuisti me contrarium tibi et factus sum mihimet ipsi gravis? Job 7, 20.

Dimittam adversum me eloquium meum, loquar in amaritudine animae meae, dicam Deo: noli me condemnare. Job 10, 1.

Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte universa delicta mea. Psalm. 24, 18.

Delicta juventutis meae et ignorantias meas ne memineris, Domine. Psalm. 24, 7.

Respice in me, et miserere mei. Ibid. v. 17.

Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Ps. 50. v. 1.

Ne projicias me a facie tua, et spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Ibid. v. 13.

Deus tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita. Psalm. 68. v. 7.

Veniant mihi miserationes tuae et vivam. Psalm. 118. v. 77.

Erravi sicut ovis, quae periit, quaere servum tuum. Ibid. v. 176.

Ne intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Psalm. 142. v. 2.

Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut fleam die ac nocte. Jer. 6. v. 1.

Quare in perpetuum oblivisceris nostri? derelinquens nos in longitudine dierum! Converte nos Domine ad te et convertemur. Thr. 5. v. 20.

Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei: Pater peccavi

in coelum et coram te; jam non sum dignus vocari filius tuus. Luc. 15, 28.

Jesu fili David, miserere mei. Luc. 18, 38.

Ad impetrandam humilitatem.

Vilior fiam plus quam factus sum: et ero humilis in oculis meis. 2. lib. Reg. 6, 22.

Quantus ergo sum ego, ut respondeam ei, et loquar verbis meis cum eo. Job 9.

Memoria mea comparabitur cineri, et redigentur in lutum cervices meae. Job 13. v. 12.

Ego autem sum vermis, et non homo; opprobrium hominum et abjectio plebis. Psalm. 21, 6.

Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum. Ps. 8. 5.

Bonum mihi, quia humiliasti me. Psalm. 18, 71.

Humiliavit semetipsum Dominus noster Jesus Christus, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Philip. 2, 8.

Ad vitae hujus cognitionem.

Peregrini sumus, Domine coram te, et advenae, sicut omnes patres nostri: dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora. 1. Paral. 29, 15.

Parce mihi, Domine: nihil enim sunt dies mei. Job 7, 16.

Paucitatem dierum meorum nuntia mihi. Ibid.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum. Psalm. 101, 24.

Domine secundum voluntatem tuam fac mecum, et praecipe, in pace recipe spiritum meum: expedit enim mihi mori, magis, quam vivere. Tob. 3, 6.

Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia. Num. 23, 10.

Ad exercendam Resignationem.

Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat. 1. Reg. 3, 18.

Si dixeris mihi, non places, praesto sum; faciat quod bonum est coram se. 1. Reg. 15, 18.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Psalm. 56, 10.

Sicut fuerit voluntas in coelo, sic fiat in terra. 1. Mach. 3, 60.

Non mea, sed tua voluntas fiat. Matth. 3, 26.

Domine, quid me vis facere? Act. 9. 6.

Redde mihi laetitiam salutaris tui. Psalm. 50, 14.

Ad patientiam impetrandam.

Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Job 1, 12.

Si bona suscepimus de manu

Domini, mala quare non suscipiamus? Job 2, 10.

Quis ego sum, ut contradicam Domino meo. Judith 12, 13.

Dominus praecepit, et quis audet rogare, quare fecerit? 2. Reg. 16, 10.

Quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper. Psalm. 37, 18.

Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Psalm. 115, 7.

Adversus tentationes.

Quomodo possum hoc malum facere, et peccare in Deum meum? Gen. 39, 10.

Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem. 1. Reg. 24, 7.

Confirma me Domine Deus in hac hora. Jud. 13.

Salvum me fac Deus; quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam. Psalm. 68, 1.

Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea. Psalm. 94, 17.

Omne desiderium averte a me, aufer a me ventris concupiscentias et concubitus concupiscentiae ne apprehendant me, et animae irreverenti et infrenatae ne tradas me. Eccl. 23, 6.

Melius est mihi absque opere incidere in manus hominum, quam peccare in conspectu Domini. Daniel. 13, 23.

Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Matth. 6.

Ad fiduciam exercendam.

Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. Job 13, 15.

Domine pone me juxta te, et cujus vis manus pugnet contra me. Job 17, 3.

Etsi ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala; quoniam tu mecum es. Psalm. 22, 4.

Mihi autem adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Psalm. 72, 27.

Dominus mihi adjutor, non timebo, quid faciat mihi homo. Psalm 117. v. 6.

Domine fortitudo mea et robur meum, et refugium meum in die tribulationis. Jerem. 16, 19.

Exercitium timoris Dei.

Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum: antequam vadam, et non revertar ad terram tenebrarum, et opertam mortis caligine terram miseriae et tenebrarum ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Job 10, 20 &c.

Quid faciam cum surrexerit ad judicandum Deus? et cum quaesierit, quid respondebo illi? Job 31, 11.

Dolores inferni circumdederunt me, praeocupaverunt me laquei mortis. Psalm. 17, 6.

Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui. Psalm. 118, 120.

Ad cautelam in loquendo.

Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Ponam ori meo custodiam, et ostiis circumstantiae labiis meis. Psalm. 140, 3.

Quis dabit ori meo custodiam, et super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, et lingua mea perdat me. Eccl. 22, 33.

Si quis in verbo non offendit hic perfectus est vir. Jac. 3. v. 2.

Ad cognoscendam Dei voluntatem in rebus dubiis.

Loquere Domine, quia servus tuus audit. 1. Reg. 3. 9.

Vias tuas Domine demonstra mihi, et semitas tuas edoce me. Psalm. 24, 4.

Perfice gressus meos in semitis

tuis, ut non moveantur vestigia mea. Psalm. 16, 6.

Duc me Domine in via tua, et egrediar in veritate tua. Psalm. 85, 10.

Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur omnis injustitia. Psalm. 118.

Notam fac mihi viam in qua ambulem; quia ad te levavi animam meam. Psalm. 142, 10.

Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Ibid. 11.

Domine quid me vis facere? Act. 9, 8.

Postquam statuimus Deo servire.

Dirupisti vincula mea; tibi sacrificabo hostiam laudis, vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi. Psalm. 115, 8.

Convertere anima mea, in requiem tuam; quia Dominus benefecit tibi. Psalm. 114, 7.

Elegi objectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Ps. 83. 11.

Amodo voca me; Pater meus es tu. Jerem. 34.

Modus recitandi

orationem Dominicam accommodatam ad septem verba Christi in Cruce.

I. Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum.

O Domine Jesu, Sancte Sanctorum, unicus cum Patre in coelis gloriae et majestatis! Tibi quidem in omni vita, quoad in terris visus, et cum hominibus conversatus es, sed nec minus in morte id unice curae fuit, semper et ubique gloriam Patris tui quaerere, et praedicare. Videbaris quidem in extremis mortis angustiis quasi derelictus a Patre clamare, Deus meus, quare dereliquisti me? Sed

illa derelictio ad cumulum paternae tuaeque gloriae cessit.

Nam obediens ad mortem factus es, propter quod exaltavit te Deus, ut dedit tibi nomen, quod est super omne nomen. O Jesu, sic pro me derelicte, fac ne unquam, praesertim in hora mortis projicias me, et cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me propter gloriam nominis tui. Ne quando dicat inimicus meus, Deus dereliquit eum; persequar et comprehendam eum. O Deus, ne elongeris a me, neque despicias me Deus salutaris meus. Da, ut etiam in desolatione, et inter flagella te benevolum Patrem agnoscens, dicam cum viro probatae patientiae: sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.

II. Adveniat regnum tuum.

Illud inquam, o Jesu, cujus te Dominum latro tecum crucifixus

agnovit, dicens: Memento mei, cum veneris in regnum tuum; cujus quidem consortium tu protinus illi promisisti, dicens: hodie mecum eris in Paradiso. Da mihi, o Jesu, quae sursum sunt quaerere, ubi tu es in dextera Dei sedens; quae sursum sunt sapere, non quae super terram. Sed ante omnia, da mihi cor vere contritum, humiliatum, quod non despicias, ut in fine cum latrone dicere mihi magna cum fiducia liceat: adveniat regnum tuum. Memento mei Domine, olim pro me pendens inter latrones in cruce, nunc cum beatis regnans in coelo. O! si tunc et ego merear audire: hodie mecum eris in regno meo.

III. Fiat voluntas tua.

O Jesu obedientissime, qui factus es pro nobis obediens Deo Patri usque ad mortem, mortem

autem crucis. Unde palam testaris consummatum esse; nempe, opus redemptionis humanae tibi a patre commissum. O Jesu! da mihi, ut, quae status et officii mei sunt, serio perficiam, ut bonum certamen certando, cursum consummando a te expectare possim coronam justitiae. Nam si faciam ego, quod jussisti, tu facies, quod promisisti.

IV. Panem nostrum quotidianum.

O Salvator, nostrae salutis magne zelator! Quid enim in cruce pendens, et te sitire clamans, quid inquam, sitiebas, aut desiderabas aliud, quam salutem nostram? Certe desiderio desiderasti hunc cibum manducare, et hunc calicem bibere. Siccine quod gula nostra peccavit, tam acerba sitis expiare debuit? O si des mihi ita propriam sitire salutem, sicut tu

alienarum! Quid vero proderat tibi, si me salvares? Nimirum gratuitus amor mei sitim illam accendit: cui utinam ego digne respondeam, non negligens ipse curam salutis meae; sed nec studium alienae. Utrumque enim instar dulcis et jucundi cibi nobis esse debet. Nam unicuique mandasti de proximo suo, et peccata populi sacerdotibus commendanda dedisti. Absit, ut nauseat anima eorum super cibo isto tanquam vilissimo, et nimium duro. Utinam zelus domus Domini comedat eos, ita, ut non comedant me commoda, ceu bona ecclesiae capiant, nisi zelo domus Dei, ad quos illius cura pertinet.

V. Et dimitte nobis debita nostra.

O Redemptor noster, qui vulneratus et mortuus es propter delicta nostra, qui non vis mortem

peccatorum, ita, ut nec ipsos tuae mortis auctores, et carnifices ab hac misericordia velles exclusos, quippe qui veniam iis impetrare voluisti dicens: Pater ignosce illis.

O pietas inaudita! o misericordia ineffabilis! Per hanc precor, ignosce mihi, et dimitte debita mea. Ecce et ego paratus sum ex animo, idque exemplo et verbis fui monitus, ignoscere inimicis meis; ne frustra quaeram a te misericordiam, si erga proximos reservem iracundiam.

VI. Et ne nos inducas in tentationem.

O Jesu, qui tentatus es ipse per omnia absque peccato; neminem vero tentas, sed intentator malorum es; immo omnium tentatorum refugium et virtus; adjutor in tribulationibus. Id quod satis in cruce ipsa monstrasti, tam pro dilectissima Matre et disci-

pulo dilecto sollicitus, eosque sibi invicem commendans; ut mutua cura et ope, haberent in adversis solatium, in tribulationibus remedium. Utinam pariter, o Domine, sollicitus sis mei, ut non timeam quid faciat mihi vel homo vel daemon malignus; et quasi stans sub cruce provideam te in conspectu meo semper, quoniam a dextris es mihi, ne commovear.

VII. Sed libera nos a malo.

O Mediator fortissime, nam fortis ut mors dilectio tua. Haec te mori coegit, sed et mortem ac mala omnia fecit vincere. Tu itaque a malis et miseriis hujus vitae mortalis jam tum liberandus, secure et tranquille in manus Patris aeterni Spiritum tuum commendas, velut ultro vitam et animam illi resignans, a quo acceperas; sciens quia potens erat resuscitare te ad vitam, nec morti,

nec ullis malis amplius obnoxiam. Da mihi o Mediator! sic perfungi hujus vitae poenis, laboribus, malis et miseriis, ut cum ad finem pervenero, filiali fiducia, prompta voluntate reddam tibi creatori meo animam meam.

Oratio ante preces vel officium.

Omnipotens sempiterne Deus, qui preces ad te devote clamantium nunquam respuere soles, aperi cor meum ac labia mea ad benedicendum et glorificandum nomen tuum, quod est benedictum in saecula. Aufer a me omnes cogitationes vanas ac perversas, ut te solum jugiter labia mea collaudent, mens meditetur et anima benedicat, ut qui tua sola bonitate ad laudem et gloriam tui sanctissimi nominis sum creatus, tibi etiam soli, quamdiu vixero, mente et animo devotus permaneam, tuae-

que divinae Majestatis digne et laudabiliter servire merear, nunc et in saecula. Amen.

Oratio post opus aliquod arduum.

Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. O Salvator hominum, in unione omnium operum tuorum offero tibi hoc opus per tuam gratiam a me peractum, gratias agens pro auxilio tuo in eo mihi praestito, pro impedimentorum omnium substractione, et voluntatis tuae adimpletione.

Agnosco, quia nihil dignum tua Majestate egi, fateor, quia super omne meritum meum mihi bene fecisti, et quoscunque in hoc opere defectus admisi, eos obsecro, ut remittas, suppleas et emendes; si quid vero boni actum est, illud velut tuum in cor tuum suscipias, perficias et conserves, et ad alia

tibi placita novo me fervore semper excites et adjuves. Amen.

Oratio in adversis et tribulationibus.

O Redemptor hominum, crucem hanc tui amore, et fructuum tuae crucis desiderio et expectatione, cum resignatione et gratitudine, de manu paternae tuae benignitatis et providentiae suscipio, certo credens et confidens, hanc a te medico sapientissimo mihi ordinatam pro bono meo multiplici, meaeque animae profectu et salute.

Ideoque cum humilitate me tibi offero ad faciendum et patiendum quidquid volueris, ut tua benigna et paterna voluntas compleatur in me.

Sed conforta me tua dulcissima gratia, o Pater amantissime, quamdiu tibi placuerit, ut in hac cruce permaneam; et protege me ab omni impatientia, ira et offensa

tua; et gratiam concede, ut cum omni mansuetudine et benignitate molesta haec et adversa sustineam, nulla nisi propter te et secundum te quaerens et assumens remedia, et tecum suaviter in cruce quiescens, eum fructum ex tribulatione suscipiam, propter quem illam mihi mittere dignatus es, et ex omnibus meis afflictionibus meritis tuae passionis unitis, simul ex omnibus operibus meis laus tibi proveniat et gloria sempiterna. Amen.

Cibi et potus benedictio.

Benedic, Domine, creaturam istam, ut sit nutrimentum salutare generi humano, et praesta per invocationem sancti tui nominis, ut quicunque ex ea sumpserit, corporis refectionem et animae tutelam percipiat. Per Jesum Ch. D. N. Amen.

Gratiarum actiones post cibi sumptionem.

Gloria Deo semper, super bonitatibus suis, gloria Deo, qui cibavit nos, gloria Deo, qui saturavit nos; gloria Deo misericordi, qui misertus est omnium nostrorum per intercessionem genitricis Dei et omnium Sanctorum in saecula saeculorum. Amen.

Oratio revertentis a vanitatibus mundi.

Ecce Deus meus, elongavit se a te procul anima, et evagata est nimis post vanitates et insanias falsas. Sed compunctus nunc et cum desiderio redeo et convertor ad te Dominum Deum meum, qui fons es consolationis et misecordiae nunquam deficiens. Ne repellas, o benignissime Deus, me desolatum a te, sed in bonitate tua suscipe me, et conscien-

tiam meam ante te emunda, ut nulla teneatur amplius re vana, neque amore creaturae alicujus inquinata, neque odio labefacta, nullam etiam extrinsecus consolationem, requiem aut commoditatem quaerat, sed omnem spem suam in te Deo Jesu meo ponat, et libenter pro te omnem amplectatur laborem et defectum. O Deus, ego te fontem aquae vivae dereliqui, et ad fragiles creaturas expandi cor meum pro mendicando solatio, et sic amando res perituras, longe nimis a te projectus sum. Sed ne cum illis peream, ecce revertor ad te, et ad te meam totam dirigo affectionem.

Recordare mei pauperis mendici, o Pater bone, per viscera misericordiae tuae; refocilla animam te desiderantem lacte tuo, et deduc aliquando etiam extra se prae abundantia tuae dulcedi-

nis, ut in te ponatur et requiescat cor meum, satietur desiderio, et fruatur te, sicut desiderat anima mea; quia tu es verum et sincerum gaudium summum et unicum bonum, et quidquid mens pia desiderare potest. Te decet Laus, honor et adoratio per infinita saecula saeculorum. Amen.

Litaniae de B. Maria Virgine.

(Ex sacra Scriptura.)

Kyrie eleison!
Christe eleison!
Kyrie eleison!
Christe audi nos!
Christe exaudi nos!
Pater de coelis Deus, miserere nobis!
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis!
Spiritus sancte Deus, miserere nobis!
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis!

Sancta Maria,	Ora pro nobis!	
S. Dei Genitrix,		
S. Virgo Virginum,		
S. Maria Mater viventium,		Genes. 3.
S. Maria ab aeterno ordinata,		Prov. 8.
S. Maria gloria Jerusalem,		Jud. 15.
O Maria patribus promissa,		Isaiae 7.
S. Maria mysticis miraculis praesignata,		Exod. 5.
S. Maria oraculis propheticis praenuntiata,		Isaiae 7.
S. Maria caput serpentis conterens,		Genes. 3.
S. Maria ex stirpe David progenita,		Matth. 1.
S. Maria stella Jacob,		Num. 2.
S. Maria tabernaculum cum hominibus,		Apoc. 21.
S. Maria lilium inter spinas,		Cant. 2.

S. Maria rubus ardens incombustus,	Exod. 3.
S. Maria vellus Gedeonis,	Jud. 3.
S. Maria thronus Salomonis,	2. Reg. 1.
S. Maria mulier fortis,	Prov. 31.
S. Maria universas filias supergressa,	Ibid.
S. Maria speculum sine macula,	Sap. 7.
S. Maria stella matutina,	Eccles. 5.
S. Maria aurora consurgens,	Ibid.
S. Maria electa ut sol,	Cant. 6.
S. Maria castrorum acies ordinata,	Ibid.
S. Maria turris eburnea,	Cant. 7.
S. Maria favus distillans,	Ibid. 4.
S. Maria hortus conclusus,	Ibid.
S. Maria fons signatus,	Ibid.
S. Maria puteus aquarum viventium,	Ibid.

Ora pro nobis!

S. Maria justo Joseph desponsata,	Ora pro nobis!	Matth. 1.
S. Maria ab angelo honorifice salutata,		Luc. 1.
S. Maria gratia plena,		Ibid.
S. Maria inter mulieres benedicta,		Ibid.
S. Maria a Spiritu sancto obumbrata,		Ibid.
S. Maria Mater Domini,		Luc. 1.
S. Maria Elisabeth cognatam visitans,		Ibid.
S. Maria terra benedicta germinans Salvatorem,		Isaiae 45.
S. Maria porta soli principi pervia,		Ezech. 44.
S. Maria virga Aronis florida,		Num. 17.
S. Maria cum sponso Joseph in Bethlehem profecta,		Luc. 2.
S. Maria filium enixa, et in praesepio reclinans,		Ibid.

S. Maria puerpera a pastoribus et Magis visitata,	Ora pro nobis!	Luc. 2.
S. Maria filium juxta legem circumcidi sustinens,		Ibid.
S. Maria legi purificationis sponte te subjiciens,		Ibid.
S. Maria in Aegyptum cum filio et sponso profugata,		Matth. 2.
S. Maria ex Aegypto in terram Israel reversa,		Ibid.
S. Maria, quae filium in templo gaudens invenisti,		Ibid.
S. Maria, filio defectum vini in nuptiis insinuans,		Luc. 2.
S. Maria, quae stabas juxta crucem filii,		Joan. 19.
S. Maria dilecto discipulo commendata,		Ibid.

S. Maria doloris gladio transfixa, — Luc. 2.
S. Maria Spiritu sancto in die pentecostes repleta, — Act. 1.
S. Maria, quae cunctis generationibus beata praedicaris, — Luc. 2.
S. Maria, — Ora pro nobis!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis!

Pater noster etc.

℣. Dignare me, laudare te virgo sacrata.
℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Protege Domine famulos tuos subsidiis pacis, et Beatae Mariae semper Virginis patrociniis confidentes a cunctis hostibus et periculis redde securos. Per Chr. D. N. Amen.

Oratio S. Bernardi ad B. V. Mariam.

Memorare, o piissima Virgo Maria, non esse auditum a saeculo, quemquam ad tua currentem praesidia, tua petentem suffragia, tua implorantem auxilia, esse derelictum. Ego tali animatus confidentia ad te Virgo virginum, curro, ad te, Mater, venio, coram te gemens peccator assisto. Noli, Mater Verbi, verba despicere, sed audi propitia, et exaudi. Amen.

Hymnus S. Casimiri de B. V. Maria.

PARS PRIMA.

Omni die dic Mariae, mea laudes anima; ejus festa, ejus gesta cole devotissima.

Contemplare et mirare ejus celsitudinem: dic felicem Genitricem, dic beatam Virginem.

Ipsam cole, ut de mole criminum te liberet; hanc appella, ne procella vitiorum superet.

Haec persona, nobis dona contulit coelestia; haec Regina nos divina illustravit gratia.

Lingua mea dic trophea Virginis puerperae; quae inflictum maledictum miro transfert germine.

Sine fine, dic Reginae mundi laudum carmina; ejus bona semper sona; semper illa praedica.

Omnes mei sensus ëi personate

gloriam: frequentate tam beatae Virginis memoriam.

Nullus certe tam disertae extat eloquentiae, qui condignos promat hymnos ejus excellentiae.

Omnes laudent, unde gaudent, Matrem Dei Virginem, nullus fingat, quod attingat ejus celsitudinem.

Sed necesse, quod prodesse piis constat mentibus, ut intendam, quod impendam me ipsius laudibus.

Quamvis sciam, quod Mariam nemo digne praedicet; tamen vanus et insanus est, qui illam reticet.

Cujus mores, tanquam flores exornant Ecclesiam; actiones et sermones miram praestant gratiam.

'Evae crimen nobis limen Paradisi clauserat; haec dum credit, et obedit, coeli claustra reserat.

Propter Evam homo saevam accipit sententiam; per Mariam habet vitam, quae ducit ad patriam.

Haec amanda et laudanda cunctis specialiter; venerari, et precari illam, decet jugiter.

Ipsa donet, ut quod monet Natus ejus faciam: ut finita carnis vita laetus hunc aspiciam.

PARS SECUNDA.

O! cunctarum feminarum decus atque gloria; quam electam et evectam scimus super omnia.

Clemens audi, tuae laudi quos instantes conspicis; munda reos, et fac eos donis dignos coelicis.

Virga Jesse, seps oppressae mentis et refugium; decus mundi, lux profundi, Domini Sacrarium.

Vitae forma, morum norma, plenitudo gratiae; Dei templum et exemplum totius justitiae.

Virgo salve, per quam valvae coeli patent miseris, quam non flexit, nec allexit fraus serpentis veteris.

Generosa et formasa David re-

gis filia, quam elegit Rex, qui regit, et creavit omnia.

Gemma decens, rosa recens, castitatis lilium: castum chorum ad polorum quae perducis gaudium.

Actionis et sermonis facultatem tribue, ut tuorum meritorum laudes promam strenue.

Opto nimis, ut inprimis des mihi memoriam, ut decenter et frequenter tuam cantem gloriam.

Quamvis muta, et polluta mea sciam labia; praesumendum, nec silendum est de tua gratia.

Virgo gaude, omni laude digna et praeconio: quae damnatis liberatis facta es occasio.

Semper munda, et foecunda, virgo tu puerpera; Mater alma, velut palma florens, et fructifera.

Tuo flore, et decore recreari cupimus, cujus fructu nos a luctu liberari credimus.

Pulchra tota sine nota cujus-

cunque maculae; fac nos mundos et jucundos te laudare sedule.

O beata! per quam data novo mundo gaudia, et aperta, fide recta, regna sunt coelestia.

Per te mundus laetabundus novo fulget lumine: antiquarum tenebrarum exutus caligine.

Nunc potentes sunt egentes sicut olim dixeras: et egeni fiunt pleni, ut tu prophetaveras.

Per te morum nunc pravorum relinquuntur devia; doctrinarum perversarum pulsa sunt ludibria.

Mundi luxus atque fluxus docuisti spernere: Deum quaeri, carnem teri, vitiis resistere.

Mentis cursum tendi sursum pietatis studio: corpus angi, motus frangi pro coelestis praemio.

Tu portasti inter casti ventris claustra Dominum; Redemptorem, qui honorem nobis reddit pristinum.

Mater facta, sed intacta, ge-

nuisti filium: Regem regum, atque verum creatorem omnium.

Benedicta, per quam victa hostis est versutia; destitutis spe salutis datur indulgentia.

Benedictus Rex invictus, cujus Mater crederis: increatus ex te natus, nostri salus generis.

PARS TERTIA.

Reparatrix, consolatrix desperantis animae; a pressura, quae ventura malis est, me redime.

Pro me pete, ut quiete sempiterna perfruar: ne tormentis comburentis stagni miser obruar.

Quod requiro, quod suspiro, mea sana vulnera; et da menti, te poscenti, gratiarum munera.

Ut sim castus, et modestus, dulcis, blandus, sobrius, pius, rectus, circumspectus, simultatis nescius.

Eruditus et munitus divinis eloquiis; timoratus et ornatus sacris exercitiis.

Constans gravis et suavis, benignus, amabilis, simplex, purus, et maturus, patiens, et humilis.

Corde prudens, ore studens veritatem dicere, malum nolens, Deum colens, pio semper opere.

Esto tutrix, et adjutrix christiani populi; pacem praesta, ne molesta nos perturbent saeculi.

Salutaris stella maris, summis digna laudibus, quae praecellis cunctis stellis, atque luminaribus.

Tua dulci prece fulci supplices, et refove: quidquid gravat, vel depravat mentes nostras remove.

Virgo gaude, quod de fraude daemonum nos liberas: dum in vera, et sincera carne Deum generas.

Illibata, et donata coelestis progenie; gravidata, ne privata florae pudicitiae.

Nam, quod eras, perseveras, dum intacta generas: illum tractans, atque lactans, per quem facta fueras.

Commendare me dignare Christo tuo filio; ut non cadam, sed evadam de mundi naufragio.

Fac me mitem, pelle litem, compesce lasciviam; contra crimen da munimen, et mentis constantiam.

Non me liget, nec fatiget saeculi cupiditas: quae indurat, et obscurat mentes sibi subditas.

Nunquam ira, nunquam dira me vincat elatio! quae multorum et malorum frequenter occasio.

Ora Deum, ut cor meum sua servet gratia; ne antiquus inimicus seminet zizania.

Da levamen et juvamen illis quoque jugiter, tua festa, tua gesta qui colunt alacriter. Amen.

℣. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Per te accessum habeamus ad filium tuum, benedicta inventrix gratiae, Genetrix vitae, Mater salutis, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostrae corruptionis, et humilitas Deo grata nostrae veniam impetret vanitati.

Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum; et fœcunditas gloriosa fœcunditatem nobis conferat meritorum.

Fac o benedicta Virgo, per gratiam, quam invenisti, per praerogativam, quam meruisti, per misericordiam, quam peperisti, ut qui te mediante fieri dignatus est, participes nos faciat gloriae et beatitudinis suae, Jesus Christus filius tuus, Dominus noster, qui est semper super omnia Deus benedictus in saecula. Amen.

Litaniae majores cum precibus.

Kyrie eleison!
Christe eleison!
Christe audi nos!
Christe exaudi nos!
Pater de coelis Deus, miserere nobis!
Fili redemptor mundi Deus, miserere nobis!
Spiritus sancte Deus, miserere nobis!
Sancta Trinitas unus Deus, misere nobis!

Sancta Maria,
Sancta Dei genitrix,
Sancta Virgo virginum,
Sancte Michael,
Sancte Gabriel,
Sancte Raphael,
Omnes sancti angeli et archangeli,
Omnes sancti beatorum spirituum ordines,

Ora vel orate pro nobis!

Sancte Joannes Baptista,
Sancte Joseph,
Omnes sancti Patriarchae et Prophetae,
Sancte Petre,
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Jacobe,
Sancte Joannes,
Sancte Thoma,
Sancte Jacobe,
Sancte Philippe,
Sancte Bartholomaee,
Sancte Matthaee,
Sancte Simon,
Sancte Thaddaee,
Sancte Mathia,
Sancte Barnaba,
Sancte Luca,
Sancte Marce,
Omnes sancti Apostoli et Evangelistae,
Omnes sancti discipuli Domini,
Omnes sancti innocentes,
Sancte Stephane,

} Ora vel orate pro nobis!

Sancte Laurenti,
Sancte Vincenti,
Sancti Fabiane et Sebastiane,
Sancti Joannes et Paule,
Sancti Cosma et Damiane,
Sancti Gervasi et Protasi,
Omnes sancti Martyres,
Sancte Sylvester,
Sancte Gregori,
Sancte Ambrosi,
Sancte Augustine,
Sancte Hieronyme,
Sancte Martine,
Sancte Nicolae,
Omnes sancti pontifices et confessores,
Omnes sancti doctores,
Sancte Antoni,
Sancte Benedicte,
Sancte Bernarde,
Sancte Dominice,
Sancte Francisce,
Omnes sancti sacerdotes et levitae,

Ora vel orate pro nobis!

Omnes sancti monachi et eremitae,
Sancta Maria Magdalena,
Sancta Agatha,
Sancta Lucia,
Sancta Agnes,
Sancta Caecilia,
Sancta Catharina,
Sancta Anastasia,
Omnes sanctae virgines et viduae,
Omnes Sancti et Sanctae Dei,
Propitius esto, parce nobis Domine!
Propitius esto, exaudi nos Domine!

Ora vel orate pro nobis!

Ab omni malo,
Ab omni peccato,
Ab ira tua,
Ab subitanea et improvisa morte,
Ab insidiis diaboli,
Ab ira et odio et omni mala voluntate,
A spiritu fornicationis,

Libera nos Domine!

A fulgure et tempestate,
A morte perpetua,
Per mysterium sanctae incarnationis tuae,
Per adventum tuum,
Per nativitatem tuam,
Per baptismum et sanctum jejunium tuum,
Per crucem et passionem tuam,
Per mortem et sepulturam tuam,
Per sanctam resurrectionem tuam,
Per admirabilem ascensionem tuam,
Per adventum Spiritus sancti Paracliti,
In die judicii,

Libera nos Domine!

Peccatores! Te rogamus, audi nos!
Ut nobis parcas, te rogamus, audi nos!
Ut nobis indulgeas, te rogamus, audi nos!
Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris, te rogamus, audi nos!

Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris,
Ut domum apostolicam et omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris,
Ut inimicos sanctae ecclesiae humiliare digneris,
Ut regibus et principibus christianis pacem et veram concordiam donare digneris.
Ut cuncto populo christiano pacem et unitatem largire digneris,
Ut nosmetipsos in tuo servitio confortare digneris,
Ut mentes nostras ad coelestia desideria dirigas,
Ut omnibus benefactoribus sempiterna bona retribuas,
Ut animas nostras, fratrum et benefactorum nostrorum ab aeterna damnatione eripias.
Ut fructus terrae dare et conservare digneris,

Te rogamus, audi nos!

Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris, te rogamus, audi nos!
Ut nos exaudire digneris, te rogamus, audi nos!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis!
Christe audi nos!
Christe exaudi nos!
Kyrie eleison!
Christe eleison!
Kyrie eleison!

Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvos fac servos tuos.
℟. Deus meus sperantes in Te.
℣. Esto nobis Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Domine non secundum peccata nostra facias nobis.
℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.
℣. Oremus pro Pontifice nostro N.
℟. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.
℣. Oremus pro benefactoribus nostris.
℟. Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam.
℣. Oremus pro fidelibus defunctis.
℟. Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.
℣. Requiescant in pace.
℟. Amen.

℣. Pro fratribus nostris absentibus.
℟. Salvos fac servos, Deus meus sperantes in te.
℣. Mitte eis Domine, auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, cui proprium est, miserere semper et parcere: suscipe deprecationem nostram, ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende; ut simul nos et a peccatis omni-

bus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice; et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo, Pontifici nostro N., et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae, ut te donante tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia et justa sunt opera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

Ure igne sancti Spiritus renes nostros, et cor nostrum, Domine, ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Actiones nostras, Domine, adspirando praeveni, et adjuvando prosequere; ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse praenoscis; te supplices exoramus, ut, pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuae clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per

Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

℟. Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus.

℣. Amen.

OFFICIUM

parvum fidelium defunctorum.

Ad Matutinuum.

Domine Jesu Christe, Rex gloriae, libera animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni et de profundo lacu; libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum; sed signifer sanctus Michael repraesentet eas in lucem sanctam, quam olim Abrahae promisisti, et semini ejus.

Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.

O vos fideles animae
In Christo defunctorum;
Sed merito prohibitae
Ab aditu coelorum:
Quam velim vobis dexteram
Opemque praesentare;
Ut hic ad coeli gloriam
Possitis evolare.

Antiphona. Illuminare his, qui in tenebris, et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes eorum in viam pacis.

℣. Si iniquitates observaveris Domine.

℟. Domine quis sustinebit.

Oremus.

Fidelium, Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgéntiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis

et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace.
℟. Amen.

Ad Primam.

Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.

O magne Pater, nomine
  Misericordiarum,
Facturas tuas respice,
  Sed immemor irarum:
Poenas sunt quidem meritae,
  Te tamen non negarunt;
Hinc locus sit clementiae;
  Ignosce, quod peccarunt.

Antiphona. Illuminare his etc. ut supra pag. 197.

Ad Tertiam.

Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.

O Jesu clementissime,
O optime Salvator,
Tuo redemptis sanguine
Sis mitis liberator:
Indulge anhelantibus
Tuam benignitatem,
Poenamque deprecantibus
Ostende bonitatem.

Antiphona. Illuminare his etc. ut supra pag. 197.

Ad Sextam.

Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.

O Consolator optime,
O dulcis Paraclete,
Hos tu desertos respice,
Et indignos quiete:
In aestu hoc temperiem
Veraeque pacis bona,
Et post laborem requiem
Aeternam iis dona.

Antiphona. Illuminare his etc. ut supra pag. 197.

Ad Nonam.

Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.

O dulcis Mater gratiae,
Solatrix afflictorum,
Vim cohibe justitiae,
Rigorem tormentorum:
Flammam voracem tempera,
Et mitiga dolores:
Incendium refrigera,
Et fini hos angores.

Antiphona. Illuminare his etc. ut supra pag. 197.

Ad Vesperas.

Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.

Vos tutelares Genii,
Quorum sunt hi clientes,
Quantum vestri subsidii
Sunt ipsi indigentes!
Piorum desideria
Et vestrum excitate:
Optata refrigeria
Clientibus curate.

Antiphona. Illuminare his etc. ut supra pag. 197.

Ad Completorium.

Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.

Vos omnes quoque Coelites,
In regno triumphante
Solamini hos milites,
In flamma hac purgante,
Vestri in terris socii
Cum fuerint laborum,
Nunc et beati otii
Consortes sint bonorum.

Antiphona. Illuminare his etc. ut supra pag. 197.

Oblatio.

O fons misericordiae,
Summaeque bonitatis,
Prosint piorum lacrymae
Hoc igne cruciatis.
Locum tuae justitiae
Agnoscimus infernum:

Laudes tuae clementiae
Hi cantent in aeternum.

Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.
℣. Requiescant in pace.
℟. Amen.

Preces, quando s. Missae Sacrificium dicitur pro defunctis.

Ad Introitum.

Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.

Ps. 64. Te decet hymnus, Deus in Sion, et tibi reddetur votum in Jerusalem; exaudi orationem meam, ad te omnis caro veniet.

Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.

Kyrie eleison!
Kyrie eleison!
Kyrie eleison!
Christe eleison!

Christe eleison!
Christe eleison!
Kyrie eleison!
Kyrie eleison!
Kyrie eleison!
Dominus vobiscum
Et cum spiritu tuo.

Ad Collectas.

Deus, qui inter apostolicos sacerdotes famulos tuos pontificali seu sacerdotali fecisti dignitate vigere: praesta quaesumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio. Per Dominum nostrum etc.

In die obitus, seu depositionis defuncti dicitur oratio sequens.

Quaesumus Domine, ut animae famuli tui N. (vel famulae tuae N.), cujus depositionis diem tertium (vel septimum vel trigesimum) commemoramus, sanctorum atque electorum tuorum largiri digneris

consortium, et rorem misericordiae tuae perennem infundas. Per Dominum nostrum etc.

In anniversario defunctorum dicitur oratio sequens.

Deus, indulgentiarum Domine, da animabus famulorum famularumque tuarum (vel animae famuli tui N. vel famulae tuae N.), quorum (vel cujus) anniversarium depositionis diem commemoramus, refrigerii sedem, quietis beatitudinem et luminis claritatem. Per Dominum nostrum etc.

In die vero commemorationis omnium fidelium defunctorum dicitur oratio sequens.

Fidelium Deus, omnium conditor et redemptor animabus famumulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas cum Deo patre in uni-

tate spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Ad Epistolam.

Lectio libri apocalypsis B. Joannis Apostoli.

In diebus illis: audivi vocem de coelo dicentem mihi, scribe, beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos. Deo gratias.

In die obitus seu depositionis defuncti legitur epistola sequens.

Lectio Epistolae B. Pauli Apostoli ad Thessalonicenses. 1. Thess. c. 4.

Fratres, nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut et ceteri, qui spem non habent. Si enim credimus, quod Jesus mortuus est et resurrexit: ita Deus eos, qui dormierunt

per Jesum, adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non praeveniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in jussu et in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de coelo: et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus. Itaque consolamini invicem in verbis istis. Deo gratias.

In die anniversarii legitur sequens Epistola.

Lectio libri Machabaeorum. Cap. 12.

In diebus illis: Vir fortissimus Judas facta collatione duodecim drachmas argenti misit Jerosolymam offeri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans. (Nisi

enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis). Et quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. Deo gratias.

In die commemorationis omnium fidelium defunctorum.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Corinthios. 1. Cor. cap. 15.

Fratres! ecce mysterium vobis dico: omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba: canet enim tuba et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere in corruptionem: et mortale hoc induere

immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem; tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est: virtus vero peccati lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. Deo gratias.

Graduale. Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis. ℣. In memoria aeterna erit justus: ab auditione mala non timebit. Ps. 111.

Tractus. Absolve, Domine, animas omnium fidelium defunctorum ab omni vinculo delictorum. ℣. Et gratia tua illis succurrente, mereantur evadere judicium ultionis; et lucis aeternae beatitudine perfrui.

Sequentia.

Dies irae, dies illa,
Solvet saeclum in favilla:
Teste David cum Sibylla.
Quantus tremor est futurus,
Quando judex est venturus,
Cuncta stricte discussurus!

Tuba mirum spargens sonum
Per sepulchra regionum,
Coget omnes ante thronum.
Mors stupebit et natura,
Cum resurget creatura,
Judicanti responsura.

Liber scriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Unde mundus judicetur,
Judex ergo cum sedebit,
Quidquid latet apparebit:
Nil inultum remanebit.

Quid sum miser tunc dicturus?
Quem patronum rogaturus
Cum vix justus sit securus.
Rex tremendae Majestatis,

Qui salvandos salvas gratis,
Salva me, fons pietatis.

Recordare, Jesu pie,
Quod sum causa tuae viae,
Ne me perdas illa die.
Quaerens me sedisti lassus,
Redemisti, crucem passus;
Tantus labor non sit cassus.

Juste judex ultionis,
Donum fac remissionis
Ante diem rationis.
Ingemisco tanquam reus;
Culpa rubet vultus meus,
Supplicanti parce Deus.

Qui Mariam absolvisti,
Et latronem exaudisti,
Mihi quoque spem dedisti.
Preces meae non sunt dignae:
Sed tu bonus fac benigne,
Ne perenni cremer igne.

Inter oves locum praesta,
Et ab hoedis me sequestra,
Statuens in parte dextra.
Confutatis maledictis,

Flammis acribus addictis,
Voca me cum benedictis.

Oro supplex et acclinis,
Cor contritum quasi cinis
Gere curam mei finis.
Lacrymosa dies illa,
Qua resurget ex favilla
Judicandus homo reus.

Huic ergo parce Deus,
Pie Jesu Domine,
Dona eis requiem. Amen.

Ad Evangelium.

Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. Cap. 6.

In illo tempore: dixit Jesus turbis Judaeorum: Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum, et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Judaei ad invicem, dicentes: quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad

manducandum? Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. Laus tibi Christe.

In die obitus. seu depositionis defuncti legitur Evangelium sequens.

Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. Cap. 1.

In illo tempore: dixit Martha ad Jesum: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Sed et nunc scio, quia quaecunque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. Dixit illi Jesus: Resurget frater tuus. Dixit ei Martha: Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die. Dixit ei Jesus: Ego sum resurrectio et vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit,

vivet: et omnis, qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum. Credis hoc? Ait illi: Utique, Domine, ego credidi, quia tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. Laus tibi Christe.

Sequens Evangelium legitur in anniversario defunctorum.

Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. Cap. 6.

In illo tempore: dixit Jesus turbis Judaeorum: Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet, et eum, qui venit ad me, non ejiciam foras. Quia descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. Haec est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. Haec est autem voluntas Patris mei, qui misit me: ut omnis, qui videt filium, et credit in eum,

habeat vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. Laus tibi Christe.

Sequens Evangelium legitur in commemoratione omnium defunctorum.

Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. Cap. 5.

In illo tempore: dixit Jesus turbis Judaeorum: Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem filii Dei; et qui audierint, vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso: et potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei: et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii. Laus tibi Christe.

Ad Offertorium.

Domine Jesu Christe, Rex gloriae, libera animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni, et de profundo lacu: libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum: sed signifer sanctus Michaël repraesentet eas in lucem sanctam: quam olim Abrahae promisisti et semini ejus. ℣. Hostias et preces tibi, Domine, laudis offerimus, tu suscipe pro animabus illis, quarum hodie memoriam facimus: fac eas Domine de morte transire ad vitam, quam olim Abrahae promisisti et semini ejus.

Ad Secretam.

Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus? Job 14. Dimittam adversum me eloquium, loquar in amaritudine

animae meae, et dicam Deo: Noli me condemnare. Job 10.

Ad Praefationem.

℣. Sursum corda.
℟. Habemus ad Dominum.
℣. Gratias agamus Domino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: per Christum Dominum nostrum. In quo nobis spem beatae resurrectionis concessisti; ut dum naturam contristat certa moriendi conditio, fidem consoletur futurae immortalitatis promissio. Tuis enim fidelibus, Domine, vita mutatur, non tollitur; et dissoluta terrestris hujus habitationis domo aeterna in coelis habitatio comparatur. Per quem majestatem tuam laudant angeli,

adorant dominationes, tremunt potestates.

Coeli coelorumque virtutes, ac beata Seraphim socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admitti jubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes:

Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt coeli et terra gloria tua. Hosanna in excelsis. Benedictus, qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis.

Ante et post Elevationem.

O Jesu, vita et resurrectio nostra, qui discedens ex hoc mundo tuam nobis carnem et sanguinem in cibum et potum reliquisti: per infinitum hunc amorem supplex oro: miserere omnium fidelium defunctorum, praesertim N. N., deduc eos ad vitae fontes, et fac,

ut mox tecum edant et bibant super mensam in regno tuo. Luc. 22.

O Jesu, protector et salus nostra, qui tantos nostri causa angores in horto sustinuisti, ut sudor tuus factus sit sicut guttae sanguinis decurrentis in terram. Per pretiosissimum hunc sanguinem tuum supplex oro: miserere omnium fidelium defunctorum, praesertim N. N. Libera eos ex omnibus angustiis suis, et absterge omnem lacrymam ab oculis eorum. Apoc. 7.

Pater noster &c.

Ad Agnus Dei.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem sempiternam.

Ad Communionem.

Adoro te, Domine Jesu, in hoc sacramento vere praesentem, et spero in te, fons omnis bonitatis et salutis: amo te, Domine, tam amantem mei, ex toto corde meo super omnia et cupio uniri tibi, saltem spiritualiter, et mutari et renovari gratia tua, ut nihil me separet a te, sed in aeternum adhaeream tibi. O Jesu! trahe me ad te magis magisque.

Ad Postcommunionem.

Ecce, Pater coelestis! ad altare misit tibi sancta mater ecclesia catholica hostiam istam superdignissimam, quam tu olim misisti immolandam pro nobis. Illam ergo suscipere digneris in amore illo superexcellente, quo filium tuum de regione nostra ad regnum tuum revertentem, tibique Deo Patri omnem fructum huma-

nitatis suae gloriosaque vulnera carnis suae praestantem suscepisti. Non recedant, piissime Pater, ab oculis tuis cicatrices ejus in perpetuum, ut memineris, quantam ab eo pro peccatis nostris satisfactionem acceperis. Igitur virtute hujus oblationis incruentae miserere mei, et omnium peccatorum, cunctorum fidelium vivorum ac defunctorum: da illis gratiam et misericordiam, remissionem peccatorum, et vitam aeternam. Amen.

Requiescant in pace. Amen.

Post Missam.

Psalmus CXXIX.

De profundis clamavi ad te, Domine: Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes: in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Pater noster &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. A porta inferi,

℟. Erue Domine animas eorum.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, cum fide summae clementiae tuae rogamus pro salute fratris nostri et famuli tui (vel famulae tuae) N. defuncti (vel defunctae), ut ejus anima vitae mortalis vinculis jam absot luta, etiam omni vitiorum careaimpuritate.

Pro defunctis parentibus.

Deus, qui nos patrem et matrem honorare praecepisti, miserere clementer animabus parentum meorum, eorumque peccata dimitte, meque eos in aeternae claritatis gaudio fac videre. Per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Pro omnibus catholicis, in vera ecclesiae fide mortuis.

Fidelium Deus idemque conditor, redemptor et salvator omnium, qui cum catholicae religionis professione et in caritate ex hac vita migrarunt, gratiam tuam imploramus pro famulis ac famulabus tuis hic et ubique in Christo quiescentibus: et praesertim nullam apud vivos memoriam nunc retinentibus, ut quas poenas pro suis peccatis gravissimas in altero saeculo dependunt, eas ineffabili tua miseratione condones, veramque et exoptatam illis quietem tribuas: ne regno tuo et salute sua diutius careant, sed cito redemptionis tuae in coelesti patria participes fiant. Per Jesum &c. Amen.

Septem Psalmi poenitentiales.

Antiph. Ne reminiscaris &c.

Psalmus VI.

Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: sed tu Domine usquequo?

Convertere Domine, et eripe animam meam: salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte, qui memor sit tui: in inferno autem, quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus

meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant et conturbentur vehementur omnes inimici mei: convertantur et erubescant valde velociter.

Gloria Patri et Filio &c.

Psalmus XXXI.

Beati, quorum remissae sunt iniquitates: et quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum: nec est in spiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea: dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: conver-

sus sum in aerumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci: et injustitiam meam non abscondi.

Dixi: confitebor adversum me injustitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno: verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum a tribulatione, quae circumdedit me: exultatio mea erue me a circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua gradieris: firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus: in camo et freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Laetamini in Domino, et exultate justi: et gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri et Filio &c.

Psalmus XXXVII.

Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi: et confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae: non est pax ossibus meis, a facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum: et sicut onus grave gravatae sunt super me.

Putruerunt et corruptae sunt cicatrices meae: a facie insipientiae meae.

Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem: tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: et non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum, et humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine ante te omne desiderium meum: et gemitus meus a te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est in me, dereliquit me virtus mea: et lumen oculorum meorum et ipsum non est mecum.

Amici mei, et proximi mei: adversum me appropinquaverunt et steterunt.

Et qui juxta me erant de longe steterunt: et vim faciebant, qui quaerebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: et dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam surdus non audiebam: et sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens: et non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te Domine speravi: tu exaudies me Domine Deus meus.

Quia dixi: nequando supergaudeant mihi inimici mei: et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum: et dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem mēam annuntiabo: et cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me: et multiplicati sunt, qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne discesseris a me.
Intende in adjutorium meum: Domine Deus salutis meae.
Gloria Patri et Filio &c.

Psalmus L.

Miserere mei Deus: secundum magnam misericordiam tuam.
Et secundum multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meam.
Amplius lava me ab iniquitate mea: et a peccato meo munda me.
Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: et peccatum meum contra me est semper.
Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.
Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: et in peccatis concepit me mater mea.
Ecce enim veritatem dilexisti:

incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et laetitiam: et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem meam a peccatis meis: et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: et spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias me a facie tua: et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi laetitiam salutaris tui: et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meae: et exultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine, labia mea aperies; et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non despicies.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: ut aedificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiae, oblationes, et holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri et Filio &c.

Psalmus CI.

Domine exaudi orationem meam: et clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam a me: in quacunque die invocavero te, velociter exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei: et ossa mea sicut cremium aruerunt.

Percussus sum ut foenum, et

aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei: adhaesit os meum carni meae.

Similis factus sum pellicano solitudinis: factus sum sicut nycti corax in domicilio.

Vigilavi: et factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei: et qui laudabant me, adversum me jurabant.

Quia cinerem tanquam panem manducabam: et potum meum cum fletu miscebam.

A facie irae indignationis tuae: quia elevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinaverunt: ego autem sicut foenum arui.

Tu autem Domine in aeternum permanes: et memoriale tuum in generatione et generationem.

Tu exurgens Domine misereberis Sion: quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus: et terrae ejus miserebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum Domine: et omnes reges terrae gloriam tuam.

Quia aedificavit Dominus Sion: et videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium: et non sprevit preces eorum.

Scribantur haec in generatione altera: et populus, qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de coelo in terram aspexit.

Ut audiret gemitus compeditorum: ut solveret filios interemptorum.

Ut annuntient in Sion nomen Domini: et laudem ejus in Jerusalem.

In conveniendo populos in unum: et reges ut serviant Domino.

Respondit ei in via virtutis suae:

Paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum: in generationem et generationem anni tui.

Initio tu Domine terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt coeli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes: et omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur: tu autem idem ipse es, anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt: et semen eorum in saeculum dirigetur.

Gloria Patri et Filio &c.

Psalmus CXXIX.

De profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes: in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris Domine: Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri et Filio &c.

Psalmus CXLII.

Domine exaudi orationem meam; auribus percipe obsecrationem meam: in veritate tua exaudi me in tua justitia.

Et non intres in judicio cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos saeculi: et anxiatus est in me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: et in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine: defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me: et similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speravi: notam fac mihi viam, in qua ambulem; quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis Do-

mine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum, Domine, vivificabis me in aequitate tua.

Educes de tribulatione animam meam: et in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam: quoniam ego servus tuus sum.

Gloria Patri et Filio &c.

Precatio ante vel post psalmos poenitentiales recitatos.

Ne reminiscaris Domine delicta nostra, non parentum, non fratrum, non vicinorum ac superiorum nostrorum; nec crimina sicut meremur vindices.

Digni sumus, proh dolor, non modo praesentibus, sed etiam im-

minentibus perpetuisque flagellis iracundiae tuae. Vae nobis, qui tot modis post agnitam justitiae tuae viam peccavimus; tuamque benignitatem, quae nos ad poenitentiam continenter allicit, invitat, expectat, vel obstinatis repudiamus animis, vel sicuti coecis oculis et surdis auribus praeterimus.

Tantum abest, ut manum tuam severe nos percutientem, nostraeque visitationis tempus agnoscamus, ac una cum Ninivitis veram agamus poenitentiam, nimirum ad te conversi, sicut ipse postulas, ex toto corde, in jejunio, fletu et planctu.

Sed converte nos Deus salutaris noster, et haec lapidea corda nostra intimi doloris sanctaeque contritionis sagitta confige et vulnera, ut sicut a te omnis gratiae fonte per inobedientiam longe discessimus, ita nunc ad te summum

bonum corde contrito et humiliato spiritu serio et cito revertamur. Etsi vero poenas graviores commeruimus, omnique venia indigni sumus; tamen suavem et immensam tuam clementiam imploramus, o Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, ut et peccatorum nostrorum vincula dissolvas, et verae conversionis ac poenitentiae spiritum nobis impertias, eaque media suppedites, quibus vere tibi Deo nostro reconciliemur, praesentibusque corporis et animi periculis liberemur. Per D. N. J. Ch., cum quo tibi laus et gloria sempiterna. Amen.

HYMNI

et orationes pro diversis anni temporibus et festis dicendi.

In Dominicis adventus.

Hymnus.

Creator alme siderum,
Aeterna lux credentium,
Jesu redemptor omnium,
Intende votis supplicum.

Qui, daemonis ne fraudibus
Periret orbis, impetu
Amoris actus, languidi
Mundi medela factus es.

Commune qui mundi nefas
Ut expiares, ad crucem

E virginis sacrario,
Intacta prodis victima.

Cujus potestas gloriae,
Nomenque cum primum sonat,
Et coelites et inferi
Tremente curvantur genu.

Te deprecamur ultimae
Magnum diei judicem,
Armis, supernae gratiae
Defende nos ab hostibus.

Virtus, honor, laus, gloria
Deo Patri cum Filio
Sancto simul Paraclito
In saeculorum saecula. Amen.

Orationes per adventum.

Excita, quaesumus Domine, potentiam tuam et veni, ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis, te mereamur protegente eripi, te liberante salvari. Qui vivis et regnas.

Excita Domine! corda nostra ad praeparandas unigeniti Filii tui

vias; ut per ejus adventum purificatis tibi mentibus servire mereamur. Qui tecum &c.

Aurem tuam, quaesumus Domine! precibus nostris accommoda, et mentis nostrae tenebras gratia tuae visitationis illustra. Qui vivis &c.

Excita, quaesumus Domine, potentiam tuam, et veni, et magna nobis virtute succurre; ut per auxilium gratiae tuae, quod nostra peccata praepediunt, indulgentia tuae propitiationis acceleret. Qui vivis &c.

In Nativitate Domini Nostri Jesu Christi.

Hymnus.

Jesu, Redemptor omnium,
Quem lucis ante originem
Parem paternae gloriae
Pater supremus edidit.

Tu lumen et splendor Patris,
Tu spes perrennis omnium,
Intende, quas fundunt preces
Tui per orbem servuli.

Memento rerum conditor,
Nostri quod olim corporis
Sacratae ab alvo virginis
Nascendo formam sumseris.

Testatur hoc praesens dies
Currens per anni circulum,
Quod solus e sinu Patris
Mundi salus adveneris.

Hunc astra, tellus, aequora,
Hunc omne, quod coelo subest
Salutis auctorem novae
Novo salutat cantico.

Et nos, beata quos sacri
Rigavit unda sanguinis,
Natalis ob diem tui
Hymni tributum solvimus.

Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,

Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna saecula. Amen.

Orationes.

Deus, qui hanc sacratissimam noctem veri luminis fecisti illustratione clarescere: da, quaesumus, ut cujus lucis mysteria in terra cognovimus, ejus quoque gaudiis in coelo perfruamur. Qui tecum &c.

Accepta sit tibi, Domine, quaesumus, hodiernae festivitatis oblatio, ut tua gratia largiente per haec sacrosancta commercia in illius inveniamur forma, in quo tecum est nostra substantia. Qui tecum &c.

Da nobis, quaesumus Domine Deus noster, ut qui nativitatem Domini nostri Jesu Christi mysteriis nos frequentare gaudemus; dignis conversationibus ad ejus mereamur pervenire consortium. Qui tecum &c.

In Epiphania Domini.

Hymnus.

O sola magnarum urbium
Major Bethlehem, cui contigit
Ducem salutis coelitus
Incorporatum gignere.

Quem stella, quae solis rotam
Vincit decore et lumine,
Venisse terris nuntiat
Cum carne terrestri Deum.

Videre postquam illum Magi,
Eoa promunt munera,
Stratique votis offerunt
Thus, myrrham et aurum regium.

Regem Deumque annuntiant
Thesaurus et fragrans odor,
Thuris sabaei, ac myrrheus
Pulvis repulchrum praedocet.

Jesu tibi sit gloria;
Qui apparuisti gentibus,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

Oratio.

Deus, qui hodierna die Unigenitum tuum gentibus stella duce revelasti: concede propitius, ut qui jam te ex fide cognovimus, usque ad contemplandam speciem tuae celsitudinis perducamur. Per eundem Dominum &c.

Per Quadragesimam.

Hymnus.

Audi benigne conditor
Nostras preces cum fletibus
In hoc sacro jejunio
Fusas quadragenario.

Scrutator alme cordium
Infirma tu scis virium
Ad te reversis exhibe
Remissionis gratiam.

Multum quidem peccavimus,
Sed parce confitentibus:
Ad nominis laudem tui
Confer medelam languidis.

Concede nostrum conteri
Corpus per abstinentiam,
Culpae ut relinquant pabulum
Jejuna corda criminum.

Praesta beata Trinitas
Concede simplex Unitas,
Ut fructuosa sint tuis
Jejuniorum múnera. Amen.

Orationes.

Deus, qui ecclesiam tuam annua quadragesimali observatione purificas, praesta familiae tuae, ut quod a te obtinere abstinendo nititur, hoc bonis operibus exequatur. Per Dominum &c.

Converte nos Deus salutaris noster, et, ut nobis jejunium quadragesimale proficiat, mentes nostras coelestibus instrue disciplinis.

Absolve, quaesumus Domine, nostrorum vincula peccatorum, et quidquid pro eis meremur, propitiatus averte. Per Dominum &c.

Dominica in palmis, et in feriis majoris hebdomadae.

Vexilla Regis prodeunt,
Fulget crucis mysterium,
Quo vita mortem pertulit,
Et morte vitam protulit.

Quae vulnerata lanceae
Mucrone diro, criminum
Ut nos lavaret sordibus,
Manavit unda et sanguine.

Impleta sunt, quae concinit
David fideli carmine,
Dicendo nationibus:
Regnavit a lingno Deus.

Arbor decora et fulgida,
Ornata Regis purpura,
Electa digno stipite,
Tam sancta membra tangere.

Beata cujus brachiis
Pretium pependit saeculi,
Statera facta corporis
Tulitque praedam tartari.

O crux, avec spes unica:
Hoc passionis tempore
Piis adauge gratiam
Reisque dele crimina.

Te fons salutis, Trinitas!
Collaudet omnis spiritus;
Quibus crucis victoriam
Largiris, adde praemium. Amen.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum salvatorem nostrum carnem sumere, et crucem subire fecisti; concede propitius, ut et patientiae ipsius habere documenta, et resurrectionis consortia mereamur. Qui tecum &c.

In Parasceve.

Orationes pro omnibus ordinibus.

Oremus, dilectissimi nobis, pro ecclesia sancta Dei, ut eam Deus

et Dominus noster pacificare, adunare et custodire dignetur toto orbe terrarum, subjiciens ei principatus et potestates, detque nobis quietam et tranquillam vitam degentibus, glorificare Deum Patrem omnipotentem.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriam tuam omnibus in Christo gentibus revelasti; custodi opera misericordiae tuae, ut ecclesia tua toto orbe diffusa, stabili fide in confessione tui nominis perseveret. Per eundem &c.

Oremus et pro beatissimo papa nostro N., ut Deus et Dominus noster, qui elegit eum in ordine Episcopatus, salvum atque incolumem custodiat ecclesiae suae sanctae, ad regendum populum sanctum Dei.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus judicio universa fundantur, respice propitius ad preces nostras, et electum nobis Antisti-

tem tua pietate conserva, ut christiana plebs, quae te gubernatur auctore, sub tanto Pontifice credulitatis suae meritis augeatur.

Oremus et pro omnibus episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Confessoribus, Virginibus, Viduis, et pro omni populo sancto Dei.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus spiritu totum corpus ecclesiae sanctificatur et regitur, exaudi nos pro universis ordinibus supplicantes, ut gratiae tuae munere ab omnibus tibi gradibus fideliter serviatur.

Oremus et pro catechumenis nostris, ut Deus et Dominus noster adaperiat aures praecordiorum ipsorum, ut per lavacrum regenerationis accepta remissione omnium peccatorum et ipsi inveniantur in Christo Jesu Domino nostro.

Oremus Deum Patrem omnipotentem, ut cunctis mundum purget erroribus, morbos auferat,

famem depellat, aperiat carceres, vincula dissolvat, peregrinantibus reditum, infirmantibus sanitatem, navigantibus portum salutis indulgeat.

Oremus et pro haereticis et schismaticis, ut Deus et Dominus noster eruat eos ab erroribus universis, et ad sanctam matrem ecclesiam catholicam, atque apostolicam revocare dignetur.

Omnipotens sempiterne Deus, qui salvas omnes, et neminem vis perire, respice ad animas diabolica fraude deceptas, ut omni haeretica pravitate deposita errantium corda resipiscant, et ad veritatis tuae redeant unitatem.

Oremus et pro perfidis Judaeis; ut Deus et Dominus noster auferat velamen de cordibus eorum, ut et ipsi agnoscant Jesum Christum Dominum nostrum.

Omnipotens sempiterne Deus, qui etiam judaicam perfidiam a

tua misericordia non repellis: exaudi preces nostras, quas pro illius populi obcaecatione deferimus, ut agnita veritatis tuae luce, quae Christus est, a suis tenebris eruantur.

Oremus et pro paganis: ut Deus omnipotens auferat iniquitatem a cordibus eorum, ut relictis idolis suis convertantur ad Deum vivum et verum, et unicum Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum.

Omnipotens sempiterne Deus, qui non mortem peccatorum, sed vitam semper inquiris, suscipe propitius orationem nostram, et libera eos ab idolorum cultura, et aggrega ecclesiae tuae sanctae ad laudem et gloriam nominis tui. Per Dominum nostrum &c.

Omnipotens sempiterne Deus, da nobis ita Dominicae passionis sacramenta peragere, ut indulgentiam percipere mereamur. Per eundem &c.

Dominica Resurrectionis.

Alleluja, Alleluja, Alleluja.
O filii et filiae,
Rex coelestis, Rex gloriae,
Morte surrexit hodie, Alleluja.

Alleluja, Alleluja, Alleluja.
Et mane prima Sabbati
Ad ostium monumenti
Accesserunt discipuli, Alleluja.

Alleluja, Alleluja, Alleluja.
Et Maria Magdalene,
Et Jacobi et Salome,
Venerunt corpus ungere, Alleluja.

Alleluja, Alleluja, Alleluja.
In albis sedens angelus
Praedixit mulieribus,
In Galilaea Dominus, Alleluja.

Alleluja, Alleluja, Alleluja.
Et Joannes Apostolus
Cucurrit Petro citius,
Monumento venit prius, Alleluja.

Alleluja, Alleluja, Alleluja.
Discipulis astantibus,
In medio stetit Christus,
Dicens, pax vobis omnibus, Alleluja.

Alleluja, Alleluja, Alleluja.
Ut intellexit Didymus,
Quia surrexerat Jesus,
Remansit fere dubius, Alleluja.

Alleluja, Alleluja, Alleluja.
Vide Thoma, vide latus,
Vide pedes, vide manus,
Noli esse incredulus, Alleluja.

Alleluja, Alleluja, Alleluja.
Quando Thomas vidit Christum,
Pedes, manus, latus suum,
Dixit, tu es Deus meus, Alleluja.

Alleluja, Alleluja, Alleluja.
Beati qui non viderunt,
Et firmiter crediderunt,
Vitam aeternam habebunt, Alleluja.

Alleluja, Alleluja, Alleluja.
In hoc festo sanctissimo,

Sit laus et jubilatio,
Benedicamus Domino, Alleluja.

Alleluja, Alleluja, Alleluja.
Ex quibus nos humillimas,
Devotas atque debitas,
Deo dicamus gratias, Alleluja.

Orationes.

Deus, qui hodierna die per Unigenitum tuum aeternitatis nobis aditum devicta morte reserasti: vota nostra, quae praeveniendo adspiras, etiam adjuvando prosequere.

Deus, qui nos resurrectionis Dominicae annua solemnitate laetificas: concede propitius, ut per temporalia festa, quae agimus, pervenire ad gaudia aeterna mereamur.

Praesta quaesumus, omnipotens Deus, ut qui paschalia festa peregimus, haec te largiente moribus et vita teneamus. Per eundem &c.

In Ascensione Domini.

Hymnus.

Aeterne Rex altissime,
Redemptor et fidelium,
Cui mors peremta detulit
Summae triumphum gloriae.

Ascendis orbes siderum,
Quo te vocabat coelitus
Collata, non humanitus,
Rerum potestas omnium.

Ut trina rerum machina,
Coelestium, terrestrium,
Et inferorum condita,
Flectat genu jam subdita.

Tremunt videntes angeli,
Versam vicem mortalium:
Peccat caro, mundat caro,
Regnat Deus Dei caro.

Sis ipse nostrum gaudium,
Manens olympo praemium,
Mundi regis qui fabricam,
Mundana vincens gaudia.

Hinc te precantes quaesumus,
Ignosce culpis omnibus,
Et corda sursum subleva,
Ad te superna gratia.

Ut cum repente coeperis
Clarere nube judicis,
Poenas repellas debitas,
Reddas coronas perditas.

Jesu tibi sit gloria,
Qui victor in coelum redis,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna saecula. Amen.

Oratio.

Concede, quaesumus, omnipotens Deus: ut qui hodierna die Unigenitum tuum redemptorem nostrum ad coelos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in coelestibus habitemus. Per eundem &c.

In festo Pentecostes.

Veni creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,

Imple superna gratia
Quae tu creasti pectora.

Qui diceris paraclitus,
Altissimi donum Dei:
Fons vivus, ignis, charitas,
Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
Digitus paternae dexterae,
Tu rite promissum patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus,
Ductore sic te praevio
Vitemus omnes noxium.

Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito
In saeculorum saecula. Amen.

Oratio.

Deus, qui hodierna die corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti; da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum &c.

In festo Ss. Trinitatis.

Antiphonae.

Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu, laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Laus et perennis gloria Deo Patri et Filio, sancto simul Paraclito, in saeculorum saecula.

Gloria laudis resonet in ore omnium Patri, genitaeque Proli, Spiritui sancto pariter resultet laude perenni.

Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia: ipsi gloria in saecula. Amen.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia majestatis adorare unitatem; quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum nostrum &c.

In festo Corporis Christi.

Pange lingua gloriosi
Corporis mysterium,
Sanguinisque pretiosi
Quem in mundi pretium,
Fructus ventris generosi,
Rex effudit gentium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intacta Virgine,

Et in mundo conversatus
Sparso verbi semine,
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.

In supremae nocte coenae
Recumbens cum fratribus,
Observata lege plene,
Cibis in legalibus,
Cibum turbae duodenae
Sed dat suis manibus.

Verbum caro, panem verum,
Verbo carnem efficit,
Fitque sanguis Christi merum,
Etsi sensus deficit;
Ad firmandum cor sincerum
Sola fides sufficit.

Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui,
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui.
Praestet fides supplementum
Sensuum defectui.

Genitori Genitoque
Laus et jubilatio;

Salus, honor, virtus quoque,
Sit et benedictio:
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio. Amen.

Oratio.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti: tribue quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas &c.

In festo sanctorum Apostolorum Petri et Pauli.

Hymnus.

Beate pastor Petre, clemens accipe
Voces precantum, criminumque vincula
Verbo resolve, cui potestas tradita
Aperire terris coelum, apertum claudere.

Egregie doctor Paule! mores instrue,
Et nostra tecum pectora in coelum trahe,
Velata dum meridiem cernat fides,
Et solis instar sola regnet charitas.

Oratio.

Deus, qui hodiernam diem Apostolorum tuorum Petri et Pauli martyrio consecrasti: da Ecclesiae tuae eorum in omnibus sequi praeceptum, per quos religionis sumsit exordium. Per Dominum nostrum &c.

In festo omnium Sanctorum.

Hymnus.

Placare, Christe, servulis,
Quibus Patris clementiam
Tuae ad tribunal gratiae
Patrona virgo postulat.

Et vos, beata per novem
Distincta gyros agmina;
Antiqua cum praesentibus,
Futura damna pellite.

Apostoli cum vatibus
Apud severum judicem,
Veris reorum fletibus
Exposcite indulgentiam.

Vos purpurati martyres,
Vos candidati praemio
Confessionis, exules
Vocate nos in patriam.

Chorea casta virginum,
Et quos eremus incolas
Transmisit astris, coelitum
Locate nos in sedibus.

Auferte gentem perfidam
Credentium de finibus:
Et unus omnes unicum
Ovile nos pastor regat.

Deo Patri sit gloria,
Natoque Patris unico,

Sancto simul Paraclito
In sempiterna saecula. Amen.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui nos omnium Sanctorum tuorum merita sub una tribuisti celebritate venerari: quaesumus, ut desideratam nobis tuae propitiationibus abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris. Per Dominum nostrum &c.

In festo ss. Angelorum custodum.

Hymnus.

Custodes hominum psallimus angelos,
Naturae fragili quos Pater addidit
Coelestis comites, insidiantibus
Ne succumberet hostibus.

Nam quod corruerit proditor angelus,
Concessis merito pulsus honoribus:

Ardens invidia, pellere nititur
Quos coelo Deus advocat.

Huc custos igitur pervigil advola,
Avertens patria de tibi credita
Tam morbos animi, quam requiescere
Quidquid non sinit incolas.

Sanctae sit Triadi laus pia jugiter,
Cujus perpetuo numine machina
Triplex haec regitur, cujus in omnia
Regnat gloria saecula. Amen.

Oratio.

Deus, qui ineffabili providentia sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris; largire supplicibus tuis, ut eorum semper protectione defendi, et aeterna societate gaudere. Per eundem &c.

In dedicatione ecclesiae.

Hymnus.

Alto ex olympi vertice
Summi parentis filius,
Ceu monte desectus lapis,
Terras in imas decidens,
Domus supernae et infimae
Utrumque junxit angulum.

Sed illa sedes coelitum
Semper resultat laudibus.
Deumque trinum et unicum
Jugi canore praedicat.
Illi canentes jungimur
Almae Sionis aemuli.

Haec templa, Rex coelestium,
Imple benigno lumine;
Huc o rogatus adveni,
Plebisque vota suscipe,
Et nostra corda jugiter
Perfunde cœli gratia.

Hic impetrent fidelium
Voces precesque supplicum

Domus beatae munera,
Partisque donis gaudeant;
Donec soluti corpore
Sedes beatas impleant.

Decus Parenti debitum
Sit usquequaque altissimo,
Natoque Patris unico
Et inclyto Paraclito,
Cui laus, potestas, gloria
Aeterna sit per saecula. Amen.

Oratio.

Deus, qui nobis per singulos annos hujus sancti templi tui consecrationis reparas diem, et sacris semper mysteriis repraesentas incolumes: exaudi preces populi tui, et praesta; ut quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse laetetur. Per Dominum nostrum &c.

In festis B. V. Mariae.

Hymnus.

Ave maris stella,
Dei mater alma
Atque semper Virgo,
Felix coeli porta!

Sumens illud Ave
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Hevae nomen.

Solve vincla reis,
Profer lumen caecis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem;
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.

Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos
Mites fac et castos.

Vitam praesta puram,
Iter para tutum,
Ut videntes Jesum
Semper collaetemur.

Sit laus Deo Patri
Summo Christo decus
Spiritui sancto,
Tribus honor unus. Amen.

Oratio in festo Conceptionis.

Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum filio tuo habitaculum praeparasti: ejus nobis intercessione concede; ut cor et corpus nostrum immaculatum tibi, qui eam ab omni labe praeservasti, fideliter custodiamus. Per eundem &c.

In festo Purificationis.

Omnipotens sempiterne Deus, majestatem tuam supplices exoramus: ut sicut unigenitus Filius tuus hodierna die cum nostrae

carnis substantia in templo est praesentatus; ita nos facias purificatis tibi mentibus praesentari.

In festo Annuntiationis.

Deus, qui de beatae Mariae Virginis utero Verbum tuum, angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti; praesta supplicibus tuis, ut, qui vere eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur.

In festo Assumptionis.

Famulorum tuorum, quaesumus Domine, delictis ignosce: ut, qui tibi placere de actibus nostris non valemus, Genitricis Filii tui Domini nostri intercessione salvemur.

In festo Nativitatis B. V. Mariae.

Concede nos famulos tuos, quaesumus Domine Deus, perpetua

mentis et corporis sanitate gaudere; et gloriosae beatae Mariae Virginis intercessione a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia. Per Dominum nostrum &c.

Officium de divo Joanne Nepomuceno, Germaniae patrono.

Ad Matutinum.

℣. Domine, labia mea aperies.
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri et Filio, et Spiritui sancto; sicut erat in principio, et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen. Alleluja, (vel Laus tibi Domine, rex aeternae gloriae.)

Hymnus.

Orbi Nepomucum dedit
Te, Joannes! suum credit

Patronum Bohemia,
In qua tuae pietatis,
Admirandae sanctitatis,
Coruscant insignia.

℣. Sancte Joannes, pro nobis ora,
℟. Ut conservetur bona fama.

Oratio.

Deus, cui soli debetur omnis honor et gloria, per gloriosa merita sancti martyris tui Joannis te suppliciter exoro, ut omnem infamiam et confusionem publicam undecunque mihi impendentem misericorditer avertere digneris; et concede mihi sic honore temporali frui, ut aeternam confusionem evadere, et in coelesti gloria merear collocari. Per Dominum nostrum &c.

Ad Primam.

℣. Deus in adjutorium &c. ut supra.
℟. Domine ad adjuvandum me &c.
Gloria Patri &c. Alleluja, vel Laus tibi &c.

Hymnus.

Dei Mater impetravit,
Quod sis mire procuravit
Natus thoro sterili.
Flammae coeli confirmarunt,
Prolem sanctam te monstrarunt,
Signo non fallibili.

℣. Ad te Domine, levavi animam meam.

℟. Deus meus, in te confido; non erubescam.

Oratio ut supra pag. 277.

Ad Tertiam.

℣. Deus, in adjutorium &c.

℟. Domine, ad adjuvandum me &c.

Gloria Patri &c. Alleluja, vel Laus tibi &c.

Hymnus.

Vix sacerdos ordinatus,
Es ferventer mox zelatus
Solam Dei gloriam.

Divinum semen sparsisti,
Populum post te traxisti,
Per miram facundiam.

℣. Custodi animam meam et erue me.

℟. Non erubescam, quoniam speravi in te.

Oratio ut supra pag. 277.

Ad Sextam.

℣. Deus, in adjutorium &c.

℟. Domine, ad adjuvandum me &c.

Gloria Patri &c. Alleluja, vel Laus tibi &c.

Hymnus.

Te reginae confessorem
Virtus fecit et censorem
Mirandae prudentiae.
Ab hac pater vocitatus,
Unus suae declaratus
Testis conscientiae.

℣. Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum.

℟. Et non confundas me ab expectatione mea.
Oratio ut supra pag. 277.

Ad Nonam.

℣. Deus, in adjutorium &c.
℟. Domine, ad adjuvandum me &c.
Gloria Patri &c. Alleluja, vel Laus tibi &c.

Hymnus.

Saevus piger imperator,
Malorum clarus patrator
Pollicetur pessima;
Ni, quae dixit sacramento,
Tu propales in momento
Uxoris peccamina.

℣. In te Domine, speravi, non confundar in aeternum.
℟. In justitia tua libera me.
Oratio ut supra pag. 277.

Ad Vesperas.

℣. Deus, in adjutorium &c.
℟. Domine, ad adjuvandum me &c.

Gloria Patri &c. Alleluja, vel Laus tibi &c.

Hymnus.

Arcanum custodivisti,
Ob quod laetus subivisti
Tormentorum genera.
Aquis tandem suffocatus,
Effectus quod sis beatus
Prodiderunt sidera.

℣. Intende animae meae, et libera eam.
℟. Propter inimicos meos eripe me.
Oratio ut supra pag. 277.

Ad Completorium.

℣. Converte nos Deus salutaris noster.
℟. Et averte iram tuam a nobis.
℣. Deus, in adjutorium &c.
℟. Domine, ad adjuvandum me &c.
Gloria Patri &c. Alleluja, vel Laus tibi &c.

Hymnus.

Tumulatus non quiescis,
Et in dies illucescis
Praeclaris miraculis.
Es certus famae patronus,
Nos a malae famae pronus
Defendas periculis.

℣. Domine, non confundar,
℟. Quoniam invocavi te.
Oratio ut supra pag. 277.

Litaniae de sancto Joanne Nepomuceno.

Kyrie eleison!
Christe eleison!
Kyrie eleison!
Christe audi nos!
Christe exaudi nos!
Pater de coelis Deus, miserere nobis!
Fili redemptor mundi Deus, miserere nobis!
Spiritus sancte Deus, miserere nobis!

Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis!

Sancta Maria,
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo virginum,
Sancte Joannes,
Vir apostolice,
Lumen ecclesiae Pragensis,
Speculum et norma confessariorum,
Eleemosynarie liberalissime,
Refugium pauperum,
Consolator afflictorum,
Expurgator haeresum,
Tuba legis evangelicae,
Dignitatum et honorum contemptor,
Orator eloquentissime,
Praedicator zelotissime,
Salutis animarum cupidissime,
Multos ad poenitentiam convertens,
Sanctimoniae prototypon,
Vas puritatis mundissimum,
Rosa patientiae,

} Ora pro nobis!

Spiritu prophetico imbute,
Sigilli confessionis sacramentalis custos invictissime,
Ad frangendum hoc sigillum frustra blanditiis et minis sollicitate,
Ante et post torturam confessionem Augustae propalare recusans,
Eligens potius mori, quam minima confessionis secreta prodere,
In tormentis perferendis patientissime et constantissime,
Ad mortem te sancte semper disponens,
Illatas injurias patienter ferens, martyrii cupidissime,
Ob sigillum sanctae confessionis integre servatum in Moldavum flumen praecipitate,
Martyr Dei inclyte,
Post mortem luminibus noctu supra aquam juxta corpus

Ora pro nobis!

tuum coruscantibus a Deo manifestate, — Ora pro nobis!
Cujus sepulchrum miraculis gloriosum, — Ora pro nobis!
Germanorum thaumaturge et patrone, — Ora pro nobis!
Nobile depositum urbis Pragenae, — Ora pro nobis!
Patrone singularis fama periclitantium, — Ora pro nobis!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis!
Christe audi nos!
Christe exaudi nos!

Pater noster et Ave.

Perfecte vir, qui in verbo non offendisti, doce nos artem recte loquendi, et bene tacendi. -

℣. Ora pro nobis, beate Joannes,
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio.

Adesto, Domine, precibus nostris, quas in memoriam beati Joannis martyris fundimus; ut ejus intercessione et meritis ab infamia et temporali derisu liberati, ante obitum confessi et poenitentes ad aeternae beatitudinis portum venire mereamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Pro anniversario ordinationis sacerdotis.

Est fungi sacerdotio
Sors, et laus magna famulo;
Da, rogo, Jesu gratiam,
Ut recolam hanc gratiam.

Ut olim rex ille Salem
Obtulit vinum et panem,
Sic tu ad ejus ordinem,
Sub his corpus, et sanguinem.

Te agnosco, ut Dominum,
Et repeto homagium,

Quod emisi tunc primitus
Cum factus eram clericus.

Sed an non, o confusio!
Fui in hoc officio
Voce de sorte Domini?
Re a parte diaboli?

Nosco bonitatem tuam
Et iniquitatem meam:
Ah! peccavi in te solum,
Et coram te feci malum.

Nunc juravi, et statui
Convenienter statui,
Custodire cum gratia
Justitiae judicia.

Clamo ex toto pectore
Ut audias me Domine,
Et deleas malitiam
Juxta misericordiam.

Quare tristis es anima?
Spera; nam conscientia
Erit in Christi sanguine*)
Munda ab omni crimine.

*) Hebr. 9, v. 14.

In me erga te mutuus
Est amor sincerissimus;
Quia non tantum operis
Peccata, sed et abluis. *)

Quis ego sum servus tuus,
Quod me voces benignius,
Ut sedeam quotidie
Ad mensam tuam Domine?

En: te nunc desiderio
Manducare desidero
Sciens, quod per has epulas
In comedente maneas.

Sed qui panem tuum edam?
Qui calicem tuum bibam?
Si enim me probavero,
Me dignum non invenio.

Tua divina gratia,
Quae ex se potest omnia,
Dignetur aptum facere,
Quem voluit eligere.

Jam veni, clamo intime,
Et dignitatem perfice

*) 1. Petri 4, 8.

Me emundans a faecibus
Et corporis et spiritus.

Sit ergo: has reliquias
Offeram ut primitias
Tam in memoriam tui,
Quam in subsidium mei:
Fiat, et fiet. Amen.

Oratio.

Praesta, quaesumus omnipotens Deus, ut ejus gratia reficiamur, qui humilis in terra, humiles ad se verbo et exemplo vocavit. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

De Jesu Redemptore.

Hymnus.

Jesus, dulcedo cordium,
Fons veri, lumen mentium,
Excedit omne gaudium
Et omne desiderium.

Jesus sole lucidior,
Et balsamo suavior,

Omni dulcore dulcior,
Et cunctis amabilior.

Bonum mihi diligere
Jesum, nil ultra quaerere,
Mihi prorsus deficere,
Ut illi queam vivere.

O beatum incendium!
O ardens desiderium!
O dulce refrigerium!
Amare Dei Filium.

Hic amor ardet dulciter,
Dulcescit mirabiliter,
Sapit delectabiliter
Et delectat feliciter.

Quam grata, quam veneranda,
Quam mellita, quam fulgida
Sunt Christi Jesu vulnera!
Hunc decet laus per saecula. Amen.

℣. Suavis est Jesus
℟. Animae diligenti se.

Oratio.

Domine Jesu Christe, illumina tenebras nostras exteriores radio

splendoris tui, ut sicut filii lucis ambulemus in lumine vultus tui tota die, qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Litaniae de Jesu Redemptore.

Kyrie eleison!
Christe eleison!
Kyrie eleison!
Christe audi nos!
Christe exaudi nos!
Pater de coelis Deus, miserere nobis!
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis!
Spiritus sancte Deus, miserere nobis!
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis!
Jesu Fili Dei vivi, miserere nobis!
Jesu potentissime, miserere nobis!
Jesu fortissime, miserere nobis!
Jesu perfectissime, miserere nobis!

Jesu gloriosissime,
Jesu mirifice,
Jesu jucundissime,
Jesu clarissime,
Jesu splendidior stellis,
Jesu pulchrior luna,
Jesu clarior sole,
Jesu admirabilis,
Jesu delectabilis,
Jesu honorabilis,
Jesu humillime,
Jesu mitissime,
Jesu patientissime,
Jesu obedientissime;
Jesu dulcissime,
Jesu amator castitatis,
Jesu amor noster,
Jesu amator pacis,
Jesu exemplar virtutum,
Jesu speculum vitae,
Jesu zelator animarum,
Jesu refugium nostrum,
Jesu pater pauperum,
Jesu consolator afflictorum,
Jesu thesaurus fidelium,

} Miserere nobis!

Jesu gemma pretiosa,
Jesu armarium perfectionis,
Jesu bone pastor ovium,
Jesu stella maris,
Jesu lux vera,
Jesu sapientia aeterna,
Jesu bonitas infinita,
Jesu gaudium Angelorum,
Jesu rex Patriarcharum,
Jesu inspirator Prophetarum,
Jesu magister Apostolorum,
Jesu doctor Evangelistarum,
Jesu fortitudo Martyrum,
Jesu lumen Confessorum,
Jesu corona Sanctorum omnium,

} Miserere nobis!

Propitius esto, parce nobis Jesu!
Propitius esto, exaudi nos Jesu!
Propitius esto, libera nos Jesu!
Ab omni malo, libra nos Jesu!
Ab omni peccato, libera nos Jesu!
Ab ira tua, libera nos Jesu!
Ab insidiis diaboli, libera nos Jesu!
A transgressione mandatorum tuorum, libera nos Jesu!

Ab incursu omnium malorum,
Per incarnationem tuam,
Per adventum tuum,
Per nativitatem tuam,
Per labores tuos,
Per flagella tua,
Per mortem tuam,
Per resurrectionem tuam,
Per ascensionem tuam,
Per coronationem tuam,
Per gaudia tua,
Per gloriam tuam,

} Libera nos Jesu!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Jesu!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Jesu!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis Jesu!
Jesu audi nos!
Jesu exaudi nos!
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

Oratio.

Deus, qui glorioso ac venerando nomine dilectum unicum tuum Redemptorem nostrum Jesum appellare, ac ejusdem nominis ineffabili virtute peccatores justificare, et peccantes exaudire, magnaque patrare miracula voluisti: da nobis, divinum et sacrosanctum hoc nomen non minus ardenti quam fideli corde complecti, et sedulo invocare, ut qui ejusdem Salvatoris nomen devoti recolimus, gratiam quoque ac potentiam ejus persentiamus. Amen.

Hymnus ad B. V. Mariam.

Ave Virgo gratiosa,
Virgo sole clarior;
Mater Dei gloriosa,
Favo mellis dulcior.

Tu es illa speciosa,
Qua nulla est pulchrior:

Rubicunda plus quam rosa,
Lilio candidior.

Tu es grata lux piorum,
Grata lux Ecclesiae,
Fulgens portus afflictorum,
Regina clementiae.

Dele sordes peccatorum,
Mater indulgentiae:
Luctum solare moestorum,
Aurora laetitiae.

Veni, veni, propera,
Charum fundens oleum,
In te sit mea gloria
Et sempiternum gaudium. Amen.

Alius.

Gaude Virgo, Mater Christi,
Quae per aurem concepisti
Gabriele nuntio.

Gaude, quia Deo plena
Peperisti sine poena
Cum pudoris lilio.

Gaude, quia oblatio,
Regum quoque devotio,
Exhibetur filio.

Gaude, quia tui nati,
Quem videbas mortem pati,
Fulget resurrectio.

Gaude Christo ascendente,
Qui in coelum te vidente,
Motu fertur proprio.

Gaude, quia Paraclitus
Missus fuit coelitus
In tuo collegio.

Gaude, quae post ipsum scandis,
Et est honor tibi grandis
In coeli palatio.

Ibi fructu ventris tui
Per te nobis detur frui
In perenni gaudio. Amen.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix!

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio.

Deus, qui beatissimam Virginem Mariam in conceptu et partu dilecti Filii tui virginitate servata duplici gaudio laetificasti, quique ejus gaudia eodem Filio tuo a mortuis resurgente et ad coelos ascendente multiplicasti, tribue quaesumus, ut ad illud ineffabile gaudium, quo tecum assumpta gaudet in coelis, ejus meritis et precibus pervenire mereamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

De admirabili misericordia Dei.

Ex divo Augustino super Psalm. CII.

Misericors et miserator Dominus, longanimis et multum misericors. In his quibus non dedit adhuc, longanimis est, non da-



mnans, sed expectans, atque ipsa expectatione clamans: convertimini ad me, et convertar ad vos. Et nimia longanimitate: Nolo, inquit, mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat. Quid dicis, quia peccator es? Convertere, et propitius erit Deus omnibus iniquitatibus tuis. Omnipotenti medico nihil est insanabile. Noli autem dicere, cras me convertam, cras Deo placebo, et omnia peccata dimittuntur mihi, verum quidem dicis, quia conversioni tuae diem crastinum non promisit.

Glorificatio admirabilis Dei misericordiae.

Ex divo Augustino super Psalm. CII.

Deus est pius, clemens et benignus Dominus, ipse est summe pulcher, et summe suavis, summe amabilis. Charitas ejus, dulcedo

ejus, pietas et benignitas ejus immensa est atque incomprehensibilis. Ipsi laus, honor et gloria in sempiterna saecula. Amen.

Oratio divi Augustini de passione Domini.

Deus, qui pro redemptione mea voluisti nasci, circumcidi, a Judaeis reprobari, a Juda proditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annae, Caiphae, Pilati et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis et opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis caedi, arundine percuti, faciem velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle et aceto potari, et lancea vulnerari. Tu Domine per has sanctissimas poenas, quas ego in-

dignus recolo, et per sanctam crucem et mortem tuam libera me a poenis inferni, et perducere digneris, quo perduxisti latronem tecum crucifixum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

ORATIONES
ad diversos Sanctos.

Ad sanctum Josephum.

Salve Patriarcharum decus, et ecclesiae Dei oeconomus, qui panem vitae et frumentum electorum conservasti.
℣. Ora pro nobis s. Joseph!
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio.

Virginum custos, et pater sancte Joseph, cujus fideli custodiae ipsa innocentia Christus Jesus et Virgo virginum Maria in terris commissa

fuit, te per hoc utrumque carissimum pignus, Jesum et Mariam obsecro et obtestor, ut me ab omni immunditia praeservatum, mente incontaminata, puro corde et casto corpore Jesu et Mariae semper facias castissime famulari. Amen.

Ad sanctos Apostolos Petrum et Paulum.

O beate Petre, claviger aetheree, intercedere digneris pro me ad Dominum, qui tibi tradidit claves regni coelorum, ut tua intercessione placatus concedat mihi meorum veniam peccatorum.

Pete mihi etiam verae poenitentiae compunctionem, sicut tu habuisti, quando amare flebas negationem Magistri tui.

Et tu gloriosum lumen, o vere apostolicum sidus altissimum, sancte Paule! qui aeterni Regis splendorem tenebris gentium infudisti,

qui in terra positus, coelorum secreta petisti, et quae non licet homini loqui, praevidisti: illuc supplices tuos post hujus carnis terminum oratione perducere digneris, quos fecisti veritatis lumen praedicatione agnoscere. Amen.

Ad sanctum Sebastianum.

Hymnus.

O Martyr Dei inclyte,
Dive Sebastiane!
Virtutes tibi inditae
Nil sapiunt inane.

A nostro praebes opere
Nunquam manum avulsam:
Nec quisquis venit peregre,
Hic patitur repulsam.

Cum tua lux exoritur,
Cedunt fatales morbi,
Omnis languor emoritur,
Fit toti salus orbi.

Coelorum qui fastigia
Triumphans ascendisti,

Nobis post te vestigia
Praeclara reliquisti.

Cui telorum fulmina
Pro scala serviêre,
Ad alta coeli culmina
Et pennas addidêre.

Nos alis tuis subleva,
Te ducem imitemur;
Vexillum altum eleva,
Tua signa nos sequemur. Amen.

℣. Ora pro nobis, beate Sebastiane.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio.

O magne fidei defensor Sebastiane, miles beatissime, cujus meritis et precibus innumerabilis hominum multitudo a mortifera peste fuit liberata, intercede pro nobis ad Dominum nostrum Jesum, ut nos tuo beato interventu a malo pestilentiae, improvisa morte, et omni adversitate cor-

poris et animae liberare et defendere dignetur, donetque nobis Deus tantum vitae spatium, et tantam emendationem peccatorum nostrorum, ut post hoc exilium sacris precibus cum Christo collaetemur. Amen.

Ad s. Carolum Borromaeum.

Hymnus.

Ergo divinis modo te fruentem
Gaudiis, omnes genibus precamur
Supplices flexis, Pater alme, sanctam porrige dextram.

Porrige o dextram, Pater alme, sanctam,
Ut tuo ductu semper elevati,
Demus haec bona transeuntis vana mundi.

Absit a nobis gula, livor, ira,
Ambitus, torpor, venus, et cupido,
Illicit quidquid procul in remotas exulet oras.

Adsit hic victis charitas inurens,
At pii, lenes, humiles, pudici,
Sobrii simus, vegetes, somno
semper abacto.

Fac uti te qua licet aemulati,
Carnis hostiles superemus aestus
Et potestates varii dolosis
artibus orci.

Fac Redemptorem cruce complu-
entem
De sua nobis roseos cruores
Ferre portandos avido refertis
ore medullis.

Hi sitim sedent, et inebriatos
Illius sancto repleant amore,
Nil, ut omnino cupiamus unum
praeter Jesum.

Praeter hunc unum nihil appeta-
mus,
Unus hic noster sit amor, sit
ardor,
Sit quies, sit pax, sit ahena nostrae
anchora navis.

Sit diu optatae statio salutis
Jugis, in qua nos velut expediti
Aucupum tricis, lacrymis metamus
gaudi pulsis.

Sed, quia acclivi nimis haec crepido
Surgit ascensu, pater alme, nobis
Filiis a te genitis potentem
porrige dextram.

Nos uti sub te duce militantes
Te triumphantem comitemur illuc,
Rex ubi regum solio coruscans
fulminat alto.

Gloriam Patri dare singularem,
Certet arguta chorus omnis ode,
Et Redemptori, scatet unde jugis
ardor amoris. Amen.

℣. Ora pro nobis beate Carole.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio.

Sancte praesul Carole, cujus virtus ut sol in orbe propagata lucet, tu inquam, pauperum pater,

et ad te clamantium consolator optime; obsecro te per amorem illum, quo dilectum tuum Salvatorem unice amasti, da mihi, ut tuis sanctissimis vestigiis insistens, aeternae gloriae particeps efficiar. Amen.

Officium de sancto Aloysio Gonzaga.

Invitatorium.

Regina casta Virginum!
Laudare Mater filium
Dignis camoenis edoce,
Plectrum canentis dirige.

Adeste mentes coelitum!
Cantamus Aloysium!
Cantare dignis laudibus
Juvate festis vocibus.

Tu labis expers angele,
In vota nostra respice!
Haec pronus audi carmina,
Et sacra laudum cantica.

Ad Matutinum.

Domine labia mea aperies.
Et os meum annuntiabit laudem tuam.
Deus in adjutorium &c.
Domine ad adjuvandum me &c.
Gloria Patri &c.

Hymnus.

Juvenis angelicus,
Proles superno Numine
Vix nata matri principi
Renata sacro flumine,
Donum fit almae Virgini.

Cum lacte matris semina
Virtutis haurit parvulus:
Sic casta servat pectora,
Ut carnis expers angelus.

Uni ter almo Numini
Sit gloria et dilectio:
Honor parenti Virgini
Sit laus et Aloysio.

Antiphona. Euge serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti

fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.

℣. Amavit eum Dominus et ornavit eum.

℟. Stolam gloriae induit eum.

Oratio.

Coelestium donorum distributor Deus, qui in angelico juvene Aloysio miram vitae innocentiam pari cum poenitentia sociasti: ejus meritis et precibus concede, ut innocentem non secuti, poenitentem imitemur. Per Dominum nostrum &c.

Ad Primam.

℣. Deus in adjutorium &c. ut supra.

℟. Domine ad adjuvandum me &c.

Hymnus.

Filius Mariae
Divae parentis munere
Natus, Mariam parvulus

In ore fert, et pectore,
Hac matre dignus filius.
Vovet novennis integri
Servare cordis lilia,
Ut pura Matri virgini
Placere possint pectora.
Uni ter almo numini &c. ut supra.

Ant., Vers. et oratio ut supra pag. 310.

Ad Tertiam.

Deus in adjutorium &c. ut supra.

Hymnus.

Cultor Eucharistiae
Sumpturus escam coelitum,
Accedit instar angeli,
Arctum famem jejunium
Coelestis auget ferculi.
Mensae modestus Principis
Ut servus adstat aulicus,
Arae minister nobilis
Sic adstat Aloysius.
Uni ter almo numini &c. ut supra.

Ant., Vers. et oratio ut supra pag. 310.

Ad Sextam.

Deus in adjutorium &c. ut supra.

Hymnus.

Sanctus Aloysius
Vitam secutus aulicam,
Novo pius miraculo,
Versatur inter regiam,
Clausus velut coenobio.
In aede novit principe
Sic parvulus Aloysius
Vixisse, pulchro ut nomine
Sanctus vocetur aulicus.
Uni ter almo numini &c. ut supra.

Ant., Vers. et oratio ut supra pag. 310.

Ad Nonam.

Deus in adjutorium &c. ut supra.

Hymnus.

Pudicitiae cultor,
Casti pudicus pectoris

Puer nives ut integras
Servet, vel umbram criminis
Horret, fugitque semitas.
Ad cuncta terrae gaudia,
Quae mundus tantum praedicat,
Occludit cautus lumina
Deoque soli dedicat.
Uni ter almo numini &c. ut supra.

Ant., Vers. et oratio ut supra pag. 310.

Ad Vesperas.

Deus in adjutorium &c. ut supra.

Hymnus.

Contemptor mundi
Ceras aviti stemmatis,
Aulae superba munia,
Paterna clari sanguinis
Contemnit ille nomina.
Fasces, coronas, purpuram,
Luxumque calcat divitem.
Fugisse gaudet et regiam
Jesum secutus pauperem.
Uni ter almo numini &c. ut supra.

Ant., Vers. et oratio ut supra pag. 310.

Ad Completorium.

Converte nos Deus salutaris noster.

Et averte iram tuam a nobis.

Deus in adjutorium &c. ut supra.

Hymnus.

Deest amori martyris
Ferox tyranni dextera.
Sed ipse carni virgini
Infligit asper vulnera.
Jejuna pulsat corpora.
A labe semper innocens,
Et nulla plectit crimina,
Crudelis in se poenitens.
Uni ter almo numini &c. ut supra.

Ant., Vers. et oratio ut supra pag. 310.

Litaniae de s. Aloysio.

Kyrie eleison!
Christe eleison!
Kyrie eleison!
Christe audi nos!
Christe exaudi nos!
Pater de coelis Deus, miserere nobis!
Fili Redemptor mundi Deus, misere nobis!
Spiritus sancte Deus, miserere nobis!
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis!
Sancta Maria Aloysii patrona,
S. Aloysi Gonzaga,
S. Aloysi, Dei benedictionibus donate,
S. Aloysi, Spiritu sancto replete,
S. Aloysi, Christi confessor dignissime,
S. Aloysi, Eucharistiae adorator devotissime,
} Ora pro nobis!

S. Aloysi, beatae Virginis cliens ardentissime,
S. Aloysi, deliciarum mundi generose contemptor,
S. Aloysi, vitae perfectae exemplar,
S. Aloysi, exemplar humilitatis,
S. Aloysi, paupertatis amator,
S. Aloysi, in obedientia admirabilis,
S. Aloysi, in coelis potentissime,
S. Aloysi, fugator daemonum,
S. Aloysi, honor et gloria juventutis,
S. Aloysi, patrone scholasticorum,
S. Aloysi, vitae evangelicae imitator,
S. Aloysi, speculum virginum,
S. Aloysi, consolator afflictorum dulcissime,
S. Aloysi, salus infirmorum certissima,

} Ora pro nobis!

S. Aloysi, praeclarum ecclesiae lumen, ora pro nobis!
S. Aloysi, plurimis insignite miraculis, ora pro nobis!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis!

In honorem Aloysii Gonzagae.

Hymnus.

Festa Gonzagae celebrent per orbem
Virgines sanctae, juvenesque puri,
Angelum coelo peperit stupenti
Aemula tellus.

Matris hic nondum resolutus alvo
Fonte baptismi puer expiatur:
Inde non vidit maculatus ullo
Crimine solem.

Pulveris furtum puerile, turpes
Inscio lapsas sine mente voces
Flevit, et sacrum reus ad tribunal
Corruit insons.

Virginis magnae pedibus novennis
Lilium cordis niveum sacravit,
Quod novo semper nitidum decore
Intulit astris.

Carnis haud passus stimulos rebelles,
Ferreos carni stimulos adegit.
Quae famem ludat, satis una lautum
Uncia pascit.

Certus, excusso sibi principatu,
Caetui nomen dare religioni,
Patris expugnat veniam profuso
Sanguinis amne.

Tres adhuc annos agit et viginti,
Cum luem passo famulatus aegro,
Hujus affectu pia charitatis
Victima languet.

Proximus letho, precor o flagellis,
Inquit, hos artus aliquis cruentet:
Restat hoc unum, satis ut beata
Morte resolvar.

Mira quis narret? tremefecit orcum
Parvus; arsuro sapiens pepercit
Flamma; mergendum venerata ripae
Reddidit unda.

Fac tuus nobis sine labe candor
Incitet sancti studium pudoris:
Fac tuos coelo recipi clientes,
O Aloysi!

Debitum Patri decus increato:
Et tibi Verbum Deiforme Patris:
Quique procedens Deus ex utroque
Nectis utrumque.

℣. Ora pro nobis, sancte Aloysi!
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio.

Coelestium donorum distributor Deus, qui in angelico juvene Aloysio miram vitae innocentiam pari cum poenitentia sociasti: ejus meritis et precibus concede, ut innocentem non secuti, poenitentem imitemur. Per Dominum nostrum &c. Amen.

Litaniae

in honorem D. N. J. Ch. sacerdotis et victimae, circa tempora ordinationum praesertim dicendae.

(Ex s. scriptura et imprimis ex Epistola s. Pauli ad Hebraeos).

Kyrie eleison!
Christe eleison!
Kyrie eleison!
Christe audi nos!
Christe exaudi nos!
Pater de coelis Deus, miserere nobis!

Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis!
Spiritus sancte Deus, miserere nobis!
Sancta Trinitas unus Deus, misere nobis,

Jesu sacerdos in aeternum,
Jesu pontifex juxta ordinem Melchisedech,
Jesu pontifex a Spiritu sancto unctus,
Jesu pontifex magne,
Jesu pontifex ex hominibus assumpte,
Jesu pontifex pro hominibus constitute,
Jesu pontifex confessionis nostrae,
Jesu pontifex amplioris prae Moyse gloriae,
Jesu pontifex tabernaculi veri,
Jesu pontifex futurorum bonorum,
Jesu pontifex fidelis,
Jesu pontifex misericors,

} Miserere nobis!

Jesu pontifex benifice,
Jesu pontifex Dei et animarum zelo succense,
Jesu pontifex in aeternum perfecte,
Jesu pontifex qui penetravit coelos,
Jesu pontifex sedens ad dexteram majestatis in coelis,
Jesu pontifex nunc apparens vultui Dei pro nobis,
Jesu pontifex qui initiavit nobis viam novam et viventem,
Jesu pontifex qui dilexit et lavit nos a peccatis,
Jesu pontifex qui fecit nos regnum et sacerdotes Deo Patri,
Jesu pontifex qui tradidit semetipsum pro nobis,
Jesu pontifex in aeternum,
Jesu hostia Dei et hominum,
Jesu hostia sancta,
Jesu hostia immaculata,
Jesu hostia accepta,

} Miserere nobis!

Jesu hostia placabilis,
Jesu hostia solemnis,
Jesu hostia magnifica,
Jesu hostia propitiationis,
Jesu hostia reconciliationis,
Jesu hostia salutis,
Jesu hostia in qua habemus fiduciam et accessum ad Patrem,
Jesu hostia quae fecit utraque unum,
Jesu hostia mactata ab origine mundi,
Jesu hostia vivens in saecula saeculorum,
} Miserere nobis!

Propitius esto, parce nobis Jesu!
Propitius esto, exaudi nos Jesu!

Ab omni malo,
A temerario in clerum ingressu,
A peccato sacrilegii,
A spiritu incontinentiae,
A turpi quaestu,
Ab omni simoniae labe,
Ab indigna opum ecclesiasticarum dispensatione,
} Libera nos Jesu!

Ab amore mundi ejusque pomparum,
Ab indigna mysteriorum celebratione,
Per aeternum sacerdotium,
Per sanctam divinitatis unctionem,
Per sacerdotalem spiritum tuum,
Per ministerium illud quo Patrem tuum in terra clarificasti,
Per cruentam tui ipsius immolationem,
Per illud idem sacrificium in altari quotidie renovatum,
Per divinam illam potestatem, quam in sacerdotibus tuis unicus et invisibilis sacerdos exerces,
Ut omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris,
Ut fiat in illis spiritus sacerdotii,
Ut labia sacerdotum scientiam custodiant,

} Libera nos Jesu!

Ut in messem tuam mittas operarios inconfusibiles,
Ut ministros tuos efficias flammam ignis,
Ut suscites pastores secundum cor tuum,
Ut omnes sacerdotio fungentes irreprehensibiles sint et sine macula,
Ut qui viderint ministros altaris, Dominum venerentur,
Ut sint offerentes tibi sacrificia in justitia,
Ut per eos sanctissimi Sacramenti cultum ubique promovere digneris,
Sacerdos et victima,

} Libera nos Jesu!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Jesu!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Jesu!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis Jesu!
Jesu sacerdos, audi nos!
Jesu sacerdos, exaudi nos!

Oratio.

Domine Jesu, pontifex confessionis nostrae, qui cum in forma Dei esses exinanivisti temetipsum, et per omnia fratribus similari voluisti, ut misericors fieres et fidelis pontifex ad Deum, et repropitiares delicta populi, emunda per sanguinem tuum conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi, et praesta, ut adeuntes cum fiducia ad thronum gratiae, misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Pro ordinandis oratio.

Deus sanctificator et custos Ecclesiae tuae, suscita in ea per spiritum tuum idoneos et fideles sanctorum mysteriorum dispensatores, ut eorum ministerio et ex-

emplo plebs christiana in viam salutis te protegente, dirigatur.

Deus, qui ministrantibus et jejunantibus discipulis, segregare jussisti Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpseras eos, adesto nunc ecclesiae tuae jejunanti et oranti, et tu, qui omnium corda nosti, ostende quos elegeris in ministerium. Bone pastor, gloria sacerdotum, qui ad immortales triumphos extulisti, qui fideliter ministerium suum impleverunt, praesta, ut eorum intuentes exitum conversationis, virtutes imitemur. Per Dominum &c. Amen.

Hymnus ss. Ambrosii et Augustini.

Te Deum laudamus, te Dominum confitemur.

Te aeternum Patrem: omnis terra veneratur.

Tibi omnes angeli: tibi coeli et universae potestates.

Tibi Cherubim et Seraphim, incessabili voce proclamant:
Sanctus, sanctus, sanctus: Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt coeli et terra majestatis gloriae tuae.
Te gloriosus Apostolorum chorus,
Te Prophetarum laudabilis numerus,
Te Martyrum candidatus laudat exercitus.
Te per orbem terrarum sancta confitetur ecclesia,
Patrem immensae majestatis,
Venerandum tuum verum et unicum Filium,
Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.
Tu Rex gloriae Christe:
Tu Patris sempiternus es Filius.
Tu ad liberandum suscepturus hominem: non horruisti Virginis uterum.

Tu devicto mortis aculeo: aperuisti credentibus regna coelorum.

Tu ad dexteram Dei sedes: in gloria Patris.

Judex crederis esse venturus.

Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni: quos pretioso sanguine redemisti.

Aeterna fac cum sanctis tuis: in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum Domine; et benedic haereditati tuae.

Et rege eos et extolle illos usque in aeternum.

Per singulos dies benedicimus te. Et laudamus nomen tuum in saeculum: et in saeculum saeculi.

Dignare Domine die isto sine peccato nos: custodire.

Miserere nostri, Domine: miserere nostri.

Fiat misericordia tua Domine super nos: quemadmodum speravimus in te.

In te Domine speravi: non confundar in aeternum.

℣. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu.

℟. Laudemus et superexaltemus in saecula.

Oratio.

Deus, cujus misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus; piissimae majestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes: ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio pro parentibus, magistris et benefactoribus.

Deūs, cujus primum in promissione praeceptum est: honora patrem tuum et matrem tuam,

benigne sine dubio excipies suspiria et vota, quae pro salute parentum meorum, et qui horum loco mihi sunt, magistrorum et benefactorum meorum tibi offero. Hos itaque praeprimis tibi commendatos habe, et beneficiorum, quae, te donante, conferre in me non desinunt, ipsis vices redde. Da illis salutem mentis et corporis, ut inter omnes vitae hujus varietates tuo semper protegantur auxilio, et digne ambulantes ad gloriam coelestem pervenire mereantur.

Doce et conforta eos, ut vitam et mores meos bonis praeceptis imbuant, optimisque exemplis ad virtutem forment, meque ipsum dirige, ne, quos praeesse mihi vis, iis pietatem, reverentiam et obedientiam filialem unquam denegem, sed dignum semper illorum cura et bonitate me exhibeam; omnisque conversatio mea ita

comparata sit, ut solatium, honorem et gaudium ipsis offeram. Amen.

Ante imaginem Crucifixi.

En ego, o bone et dulcissime Jesu, ante conspectum tuum genibus me provolvo, ac maximo animi ardore te oro atque obtestor, ut meum in cor vividos fidei, spei et charitatis sensus atque veram peccatorum meorum poenitentiam, eaque emendandi firmissimam voluntatem velis imprimere; dum magno animi affectu et dolore tua quinque vulnera mecum ipse considero, ac mente contemplor, illud prae oculis habens, quod jam in ore ponebat suo David propheta de te, o bone Jesu: Foderunt manus meas, et pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea.

Pro felici anni scholastici exitu.

Hymnus.

Tempus optatae rediit quietis,
Terminus multo positus labori:
Jam Deus soli tibi sit peracto
Gloria cursu!

O juventutis Pater atque custos!
Reddimus grates tibi, quod benigno
Juris ac veri cupidos favore
Protegis usque.

Nam tuis, tanquam clypeo, sub alis
Artuum crescit vigor atque mentis,
Ne reformidet juvenilis aetas
Mille pericla.

Utimur fidis duce te magistris;
Tu foves curas teneras parentum;
Quanta largiris rudibus scholarum
Pascis amore.

Corda doctrinis vegetas supernis;
Mentium spissas abigis tenebras,
Et viam monstrans timidis parasque
Fulcra labenti.

Hinc chorum, cives, date, gratulemur
Invicem laeti, Dominum canamus,
Cujus est nobis bonitas salutis
Pignus amicum!

Noster est idem Dominus Deusque;
Dives illius sata grex tenemus,
Cujus auditam modo ne rebelles
Spernite vocem!

Quid! tibi tot jam titulis revincti
Audeant sacrum violare foedus,
Et tuis aurem monitis negantes
Turpiter errent?

Munerum sed vix memores tuorum
Impetu mentis levioris acti
Sprevimus vocem quoties momentis
Patris ab alto?

Imo scrutanti tibi quis respondet?
Me reum poenae fateor rubente
Nunc gemens vultu, veniamque factis
Posco protervis.

Culpa dum reddit mihi te minacem,
Carpe ne rerum genitor merentem;
Neve, dum vexant animum dolores,
Exige poenas!

Sed laborantis miserere servi,
Quum minus prudens agit impotentem
Aetas, illidens scopulis acutis,
Ni Deus adsis.

Dessines nutu tenebras potenti;
Audias lenis pia vota; dones,
Pauperi tandem mihi sempiternae
Munera pacis. Amen.



INDEX.

Exercitia

ante et post Confessionem sacramentalem.

Actus Virtutum

ante sacram Communionem elicendi.

Exercitium
s. Missae partibus aptatum.

Exercitium

precandi pro diversis hominum ordinibus, statibus atque conditionibus.

Diversae Considerationes,

quae ad amplectendam poenitentiam nos inducant.

Officium

parvum fidelium defunctorum.

Hymni

et orationes pro diversis anni temporibus et festis dicendi.

Orationes

ad diversos Sanctos.